TRINITAS PATRIARCHARVM

S. Bruno Stylita Myſticus;

S. Franciſcus Paulanus Oromaſdes Religioſus, ex luce & veritate compactus;

S. Ignatius Loyola, Anima mundi.

DICTIO TRIPLEX

R. P. THEOPHILI RAYNAVDI
Societatis IESV Theologi.

[Eremitar. Camaldul. Montis Regij ad Varsaviā]

LVGDVNI,
Sumptibus Hæred. PETRI PROST,
PHIL. BORDE, & LAVR. ARNAVD.

M. DC. XLVII.
CVM PRIVILEGIO.

R^mo P. DOMNO

LEONI TEIXIER

ORD. CARTVSIENSIS

Moderatori Generali.

TRIADEM in Monade, Monadémq; in Triade, apud priſcos Myſtas abſque percepta notione ſubiecta, vt auibus oſcinibus aſſolet, decantatam; in tribus cælitibus, facta ad perſonam tuam contentione, PATER REVERENDISSIME, non dextro Hercule, ſed diuino munere occurriſſe, mihi gaudeo.

TRIADEM dico, magna nomina tria, quibus hîc qualecũque encomiũ pango, BRVNONEM, FRANCISCVM, IGNATIVM: Pyramidem mundo intelligẽtia comprehenſo ſubiacentem, potiore iure dixerim, quàm Hermes tria minuſcula numina, fulciendo (vt fabulabatur,) orbi addicta. Triocalam, veterũ ſcriptis [a] nobilem apud Trinacrios arcẽ, ſiue à triplici ad omnem vſum opportunitate, ſiue à munimento ac ſepto valido triplici denominatam, haud abs re hîc recognouerim. Quantus enim aduersùs ſæculi turbines murus, BRVNONIS latebræ atque ſeceſſio? Quantum aduersùs peſtiferè mul-

[a] Diod. Sicul. lib. 34. Phot. C.244.

centem

centem curam carnis in desideriis propugnaculum, vita durissima FRANCISCI PAVLANI. Quale aduersùs hæresim, ignorantiámque orbi incubantem, & vitia omnia munimentum, IGNATIVS? Felix secundùm Augustissimam Triadem increatam, Triadis huius creatæ triplici firmamento communita Ecclesia. Habeo perspicuè Triadem.

MONADEM tu suppeditas, PATER RELIGIOSISSIME, ornamentorum cælestium, quæ in tribus illis patriciarum familiarum ductoribus præfulserunt, complexione mirabili, in te vno conspicua: BRVNONIS enim segregem à sæculo ani-

mum, in vno quod verè vnum est exquisitè defixum; vnam semper virtutis faciem, & nunquam detritam, nunquam exolescentem accurationis Asceticæ speciem, qua Autoris imitatione ORDO NVNQVAM MVTATVS, sempérque à tot sæculis idem, celebratur; in tua sacræ exercitationis, vnius semper modi per tot annos constantia, & piissimorum institutorum tenacitate, licet agnoscere, vt vix sit, cur desiderent præsentem corpore BRVNONEM posteri, qui eum in te spiritu viuere, & Patris eximias dotes perennare in successore, tam expressis támque extantibus argumentis deprehendunt. Blandi-

loquium

loquium erat, (sed hîc ad syn-
ceram veritatem vsurpãdum,) quo Theodoricus Amalus [a], Decoratum quæstorem, apud Senatum Romanũ commendabat. *Fœtura nobilis, fructum quem in decessore perdidit, in successore seruauit. Concordat huic familiæ ramus ille ditißimus, qui Virgiliano carmine semper enascitur. Hoc enim auulso, non deficit alter aureus, & simili frondescit virga metallo.* Iam FRANCISCI PAVLANI charitatem quæ illi pro typo gnomico & gentilitia tessera fuit; IGNATII quoque pietatem, & flagrantissimum luculentioris Dei gloriæ æstum, nũquam remittentem, nunquam non vigentem, om-

[a] *lib. 5. ep. 4.*

nes qui te norunt, ex tua nunquam intercisa coniunctione cum Deo, & incensissimo quãtum fines tui patent, diuini cultus studio, agnoscunt atque suspiciunt. Abstineo pluribus, ne moderationi ac demissioni tuę, dum veritati, non affectui seruio, grauis fiam.

QVARE fuit cur hanc Sanctissimorũ Patriarcharũ Triadem, cum tua Monade componere peroptarem, dum antiqua simul ac noua quibus in tuo ære sum, sin minùs dissoluere, at saltem profiteri, nomina cogito. Antiqua dico nomina, quibus me tibi virtutũ tuarum & insignium dotium numellis innexuisti, cùm Lugdu-

ni

ni in religiosissima domus Lilij S. Spiritus rectione, totius Ordinis moderationi proluderes, ante annos circiter triginta: vt possim ego quoque Petrum Cluniacensem [a] imitatione exprimere, qui apud Eugenium Pontificem, de eo annorum numero ex quo Cartusianarum virtutum gustum cœperat, & cœptum porrò semper tenuerat, gloriatur. De nouis verò beneuolentiæ tuæ accessionibus, non est quod argumenta conquiram, extra tabulas binas quibus me, & morientem indicto diuinæ litationis subsidio, & constituta anniuersaria largitate perpetua, quàm Cartusianum nomen patet, benefi-

[a] *lib. 5. ep. 14.*

cio nunquam intermorituro, atque adeò nunquam dissoluendo, honestasti. Ego vicissim, non me ingratū præ egestate referendi impote, moriturū contestor, quod ille apud Cæsarem pro caduco beneficio excusabat; sed gratū dum vita superat, & postquàm fata vsum beneficentiæ tabulis tuis expressæ intulerint, lubens volens in omnem æternitatem recipio.

Addictissimus Paternitatis tuæ in Christo seruus,

THEOPHILVS RAYNAVDVS.

MONV

MONVMENTVM GRATI animi PP. Cartusiensium ad operis huius Authorem.

FRATER *Leo Prior Cartusiæ & sacri Ordinis Cartusiensis Generalis Minister, Patri Theophilo Raynaudo Societatis* IESV *Presbytero Theologo sempiternam in eo qui est vera salus, salutem. Quamuis ab ipso nascentis vestræ Societatis exordio, magna semper inter illam, Ordinémque nostrum animorum consensio intercesserit: nihilominus tamen æquum est, & nos decet habere præcipuè rationem eorum qui in eadem Societate singulari erga nos amore afficiuntur. Cùm ergo huius amoris in nos vestri testimonium locuples, & sæpe sæpius in libris vestris nobis & prædecessori nostro dicatis, testatum habuerimus:* Nos *vt vestræ erga nos propensioni gratitudinis vicem rependamus, tenore præsentium,*

nostrâ

nostrâ & capituli generalis super annum transfusâ in nos authoritate concedimus vobis, præter generalem omnium bonorum nostrorum spiritualium participationem, Anniuersarium perpetuum per totum Ordinem nostrum scribendum in Calendariis Domorum nostrarum. In cuius rei fidem sigillo nostro munitis subscripsimus, in maiori Cartusia die vigesima sexta Septembris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto.

Sigillentur ✝

F. LEO Prior Cartusiæ.

FRATER *Leo Prior maioris Cartusiæ ac totius Ordinis Cartusiensis Minister Generalis, cæterique Diffinitores Capituli Generalis, admodum R^do^ in Christo Patri Theophilo Raynaud Societatis* IESV *Theologo salutem. Affectum quem ad nos, Ordinémque nostrum habuisti*

buisti satis supérque iam à te conscripti libri, sed & de proximo edendi in Ordinis nostri decus declarant. Vt ergo grati in te animi nostri vices rependamus, Tibi concedimns missam de B. Maria per totum Ordinem nostrum à singulis sacerdotibus post obitum tuum (quem tibi Deus felicem post longos in vinea Dei exactos labores donet) persoluendam, vltra Anniuersarium perpetuum iam pridem tibi concessum. In quorum fidem præsentibus manu nostra subscriptis sigillum Ordinis consuetum apponi iussimus sedente Capitulo Generali in maiori Cartusia. 2. Maij 1646.

Sigillentur ✝

F. Leo Prior Cartusiæ

Claudius

CLaudius Maucler, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. Henrico IV. & Ludouico XIII. concessum; quo omnibus interdicitur editione ac diuenditione Librorum ab hominibus eiusdem Societatis conscriptorũ, nisi Superioris consensus accedat annuo vt Hæres PETRI PROST, PHIL. BORDE, & LAVRENTIVS ARNAVD excudant ac diuendant lucubrationem R.P. Theophili Raynaudi *De Trinitate Patriarcharum*. Scripsi Lugduni 10. Februarij 1647.

APPROBATIO.

STylitarum Orientalium vitæ rationem, & sanctitatem S. Brunoni Cartusianorum protoparenti aptatam, Item Orosmadem Religiosum, siue compactionem ex luce & veritate B. Frãcisco de Paula, & Animã mundi S. Ignatio Loyolæ. *Authore R. P. Theophilo Raynaudo Societ.* IESV nos infra nominati Magistri in Theologia Almæ facultatis Parisiensis lustrauimus, omnibusque pietatis & virtutis studiosis opus vtile iudicauimus, vt ex eo flores deuotionis suaueolentes decerpant, extraordinariámque vitam horum trium ducum Brunonis, Francisci Paulani, & Ignatij admirentur. Actum Lugduni die decima Februarij 1647.

F. STEPHANVS MOLIN Carmelita.
F. PAVLVS LOMBARD Carmelita.

CONSENSVS.

EGo Regis in Præfectura Lugdunensi Procurator, Librum cui titulus *Trinitas Patriarcharum*, &c. typis mandari sumptibus Hæredis PETRI PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTII ARNAVD Bibliopolarum Lugdunensium, non impedio, & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat inhibeo. Datum Lugduni 10. Februarij 1647.

LORIN.

VIso Procuratoris Regis consensu fiat vt petitur. Die 10. Februarij 1647.

DV SAVZEY.

ARGV

ARGVMENTVM.

SANCTORVM PATRIARCHARVM TRINITATI hanc opellam addico, mutuatus inſcriptionem à Philothei Conſtantinopolitani ante annos aliquot edita Oratione in SS. Baſilium, Gregorium Nazianzenum, atque Ioannem Chryſoſtomum, quos Philotheus nomine TRINITATIS THEOLOGORVM inſigniuit, eo encomio quod illis panxit in feſtiua commemoratione, qua coniunctim trigeſimo ianuarij in Græcanica Eccleſia honorabantur. Non incommodè itaque facturus viſus ſum, ſi tres cælites ſanctiſſimos, quos mihi variis occaſionibus celebrare dicendo contigit, nuncu-

parem

parem *SS. Patriarcharum Trinitatem.* Duodecim ſiquidem Iacobi filij, per comparationem ad proſeminatas ab eis duodecim tribus, *Patriarchæ* audiunt. Non eſt autem exilius decus eorum à quibus extiterunt generationes quærentium Dominum, quàm eorum per quos editæ ſunt generationes duræ, factæ Deo ipſi in faſtidium & amaritudinem.

SECVNDARII inquam Patres Spirituum à quibus prodierunt generationes cæli, meritò potiuntur prærogatiua appellationis propagines ſacras de vno ſtipite exortas ſignantis [a]. *Homines in generatione ſua glorioſi*, (quidni enim huc Siracidæ verba transferam ?) *dominantes in poteſtatibus ſuis, magni virtute, & prudentia ſua præditi*, non ſæculi aut carnis quæ mors eſt, ſed cæleſti atque diuina, *nuncian-*

[a] *Eccl.* 44.

tes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsenti populo & virtute prudentiæ populis sanctissima verba. Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Quos alios characteres, sanctissimorum multiplicis sacræ sobolis parentum conquirimus? Verè quippè hi sunt qui non rudibus tantùm, sed & ipsis Prophetis, viris inquam doctis & sapientibus dignam Deo ac se prophetiam siue sapientiam annunciarunt; Sanctis ex se editis populis, in regulis sanctissimis cælestem doctrinam elocuti? Quanquam non tam *imperantes* quod Latini verbi extimus cortex præfert, quàm ἡγούμενοι & ad omnem sanctimoniam Duces verbo & exemplo fuere. *Omnes isti in generationibus gentis suæ, gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in*

laudi

laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt narrandi laudes eorum. Non sic patres carnium, quos seruus claudus, apud Ethnicos [a] ipsúmque etiam S. Chrysostomum [b] sapientiæ nomine celebratus, mortes generare aiebat; de quibus patribus, sunt illa continenter à Siracide pronunciata. *Sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint, & nati sunt quasi non nati, & filij ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt. Cum semine eorum permanent bona; hæreditas sancta nepotes eorum, & in Testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos vsque in æternum manent. Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & lau-*

[a] *refert Origenes l. 6. contra Cels.*
[b] *hom. 13. in Acta.*

dem eorum nunciet Ecclesia.

Ad hoc aggredior. Nec quod laudum breuiculum Patribus sacrarum generationum ex Siracide depactarum, arcto ad Triadem cælitum propositam, cum iniuria aliorum facio, quos æquè *patriis* iuxta Scripturæ idioma, id est, familiis è Christo stipite primo procreatis, immediatos parentes agnosco. Sed quod in non dissimili argumento dixit S. Chrysostomus [a]; [vt leuiorem sarcinam meam redderem] tres istos è pleniore numero prudens decerpsi. Quanquam quod ille ibidem contestatur, non minùs huc quadrabit; nempè communem omnibus laudationem, & vno celebrato beato Patriarcha, omnes alios tanquam eorundem certaminum in suo quemque genere participes, eadem opera celebrari. Sicut alibi,

[a] *homil. de Machab.*

bi[a], cùm Paulus adducitur, omnes æquè adduci Apoſtolos profitetur. Et cùm vnus honeſtatur Apoſtolorum, vniuerſum Apoſtolicum Collegium honeſtari, confirmat Alexander Monachus [b], quod vna omnium ſit vocatio, & ordo par dignitatis, ac certaminum & inſtitutionum ſcopus communis. Nec diſſimiliter S. Athanaſius [c] & Petrus Damiani [d] Idipſum in re noſtra dictum ſtatuens; ad rem venio.

[a] *homil. in S. Ignat.*

[b] *encom. in S. Barnabam,*

[c] *orat. de S. Andr.*

[d] *ſer. 2. de S. Barth.*

CONSPECTVS OPERIS de S. Brunone.

III. Par

S. BRVNO

S. BRVNO STYLITA MYSTICVS.

PROPOSITVM.

Sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui : os enim Domini locutum est. Isaiæ 58.

1. NONNEMINI visus est Deus, negatum voluisse Occidentali Ecclesiæ decus Stylitarum, quod Ecclesiæ Orientali in Simeone, Daniele, Iuliano, Luca, aliisque collatum liquet. Quominus assentiar, facit exemplum S. Brunonis, eiúsque sociorum, & in Christo posterorum, quibus nuncupatio, & decus Stylitarum cùm suo modo, quoad corpora, tum maximè quoad ani-

mos, ex vitæ instituto, quantum video, planè debetur. Háncque censuerim esse veritatem propheticæ illius prænunciationis, qua secedenti à viis sæculi, & vocanti Sabbathum delicatum, tenerè inquam & delicatè obseruanti quietem Domini ad eum glorificandum; nec non refugienti à propria voluntate, vt non loquatur sermonem, sed in silentio ac spe dies huius fluxæ vitæ exigat; spondetur delectatio super Domino; deliciæ scilicet diuinæ omnibus humanis puriores, & exaltatio super altitudines terræ; non super excelsam terram ad comedendos fructus agrorum, quod carnali potiùs Israëli, quàm spirituali congruebat, sed super omnia inferiora, super qualescunque celsitudines & eminentias vallestres; (retinebo enim sapidissimum verbum Ambrosij) super omnia denique præterfluentia, vt S. Gregorius [a] optimè vidit. Agens enim de spiritualibus aquilis nidum suum in arduo ponentibus, (quo nomine seruos Dei contemplationi addictos donat,) comprobari in eis docet Propheticum hoc oraculum; *Sustollam te super altitudines terræ.* [Quasi quædam námque inferiora terræ, sunt damna, contumeliæ, egestas, abiectio, quæ ipsi quoque amatores sæculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terræ sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, diuitiarum abundantia, honores & sublimitas dignitatum, quæ quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cælestibus figitur,

[a] l. 31. moral. cap. 34.

figitur, mox quàm abiecta ſint, cernitur, quæ alta videbantur. Nam ſicut qui in montem conſcendit, eo pauliſper cætera ſubteriacentia deſpicit, quo ad altiora greſſum ampliùs tēdit; ita qui in ſummis intentionem figere nititur, dum anniſu ipſo nullam præſentis vitæ gloriam eſſe deprehendit, ſuper terræ altitudines eleuatur, & quod priùs in imis deſideriis poſitus ſuper ſe credidit, pòſt aſcendendo proficiens, ſibi ſubeſſe cognoſcit.]

2. Et ſequitur indidem, eximius ille fructus, quem Donato ſuo ſpondebat S. Cyprianus, ſi ſublatus ab imis, ex altiſſima ſpecula res humanas & caduca omnia ſubtus poſita proſpectaret: affirmat enim viſurum haud dubiè in orbe vniuerſo, per omnes conditiones ac ſtatus, corruptelam & infelicitatem, quantam nemo ſubtus iacentium perſpicere, vel etiam cogitatione aſſequi valeat: quia [ab his inquietantis ſæculi turbinibus extractus, & ad Domini munus admiſſus, ac Deo ſuo mente (fere item corpore per ſeceſſionē à ſæculo, atque adeò ſubuectionem ab inferioribus) iam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis ſublime ac magnum videtur, intra ſuam conſcientiam iacere gloriatur. Nihil appetere iam, nihil deſiderare de ſæculo poteſt, qui ſæculo maior eſt. Quàm ſtabilis, quàm inconcuſſa tutela eſt, quàm perennibus bonis cæleſte præſidium, implicantis mundi laqueis ſolui, in lucem immortalitatis æternæ, de terrena fæce purgari!] Alludit ad vocem Græcam, ἅγιος, quæ nobis ſanctum, & à limo terráque inquinante ſegre-

gem ſonat. Atque adeò pronunciat, qui purus, & illimis, ac incoinquinatorum cælitum particeps eſſe velit, ſubuectionem ab hac lutola & ſordente tellure, cogitare oportere.

3. Eſt denique iſta, genuina Chriſti in columna Crucis erecti adumbratio, vel potiùs expreſſio. Nam, vt Auctor libri de montibus Sina & Sion [a], pulchrè admonuit, non ſecus ſe habet Chriſtus in Eccleſiæ vinea, quàm ſtylita puer, quem olim appetente vindemia ligno prætalto impoſitum & modio ſuper columnam illam conſtituto inſidentem, ex vſu erat vineam vndecumque proſpectaret: ac ſi aliunde fur vuas ſublecturus irrumperet, comminando inclamare, *Rectùm ambula*. Non ſecùs itaque Chriſtus, ſuper Crucis columnam poſitus cuſtos in vineis, vigil excubitor & ſtylita non dormitans, admonet omnes officij, & vt rectùm ambulent, non declinantes ad dexteram vel ſiniſtram, ex præcelſa illa ſpecula conteſtatur. Ad hanc normam conformantur, qui exemplo Chriſti ſurriguntur à terra, & ſic exaltati omnia trahunt ad ſeipſos, iuxta piiſſimam D. Bernardi [b] conſiderationem. Victoriam quippe de incompoſitis affectibus, & mundo, ac Satana adepti, in præaltam columnam impoſiti, aut etiam facti columnæ in templo Dei, omnes exemplo ſuo docent à terra ſubuehi, & inferiora calcare.

[a] *Sub finem.*

[b] *Ser. 21. in Cant.*

PVN

PVNCTVM I.

Delibata Stylitarum Orientalium vitæ ratio & sanctitas.

VT S. Brunonem & socios, stylitarum mysticorum appellatione honestare liceat, de Stylitis Orientalibus, qui reapse, & iuxta vocis corticem id nomen prætulerunt, aliqua sunt præmittenda.

1. Ad id aggredienti, notandum in primis est, Diuinum ingeniũ, ac immẽsæ diuitiæ bonitatis & sapientiæ Dei; quæ cùm alibi variis planè argumentis, tum maximè in diuersis Sanctorum institutis se prodit. Iniuere eam institutorũ diuersitatem viri sancti, aspirante & impellente Deo: Sicut è contrario, Satanas, innumeras scidit vias, quibus mortales perirent. Perelegater id obseruauit Theodoretus, [a] aggrediens ad expositionem institutorum Baradati, admodùm præter morem receptum vsurpatorum. [Et communis (inquit,) hominum hostis inuenit multas vias vitij, vniuersam humanam naturam studens penitus perdere: & pietatis veræque religionis alumni, multas & diuersas excogitauere scalas, quibus in cælum ascenderetur: Alij per classes decertantes, (sunt autem hi cœtus innumerabiles,) incorruptis fruuntur coronis, & desideratum adscensum

[a] *In* θεοφ. *c.* 27.

consequuntur. Alij autem amplectentes vitam monasticam, & cum Deo solùm loqui meditantes, & nullam consolationem humanam participantes, sic victores publicè renuntiantur. Alij autẽ in tabernaculis, & alij in tuguriis degentes, Deum laudibus celebrant. Alij verò amplectuntur vitam in antris & speluncis. Multi autem, ex quibus aliquorum meminimus, non antrum, non tabernaculum, non speluncam, non tugurium habere decreuerunt; sed nudo aëri sua corpora mandantes, contrarias qualitates tolerant; aliquando quidem summo gelu concreti, aliquando autem igne radiorum exusti. Iam verò eorum quoque rursus est vita diuersa: nam alij quidem stant assiduè, alij verò in sessionem & stationem diem diuidunt; & alij quidem septis quibusdam inclusi, fugiunt multorum congressionem; alij verò nullo huiusmodi vtentes tegumento, propositi sunt omnibus qui eos volunt contemplari.

2. Quos dixit *nudo aëri sua corpora mandare,* Stylitæ sunt, de quibus proximè disputarat: quorum tam admirabilis quàm insolita vitæ ratio, fideles æquè ac infideles perculit sancto stupore; vt mirum sit, vitæ rationem adeò omnibus, cùm viguit, comprobatam, superiore sæculo fuisse allatratam à Caluino & Magdeburgensibus, vt attingo tractans calumniam de desperatione: quam labem impuri illi, viris hisce cælestibus ausi sunt affricare, quasi præ

ſuſtinentiæ perditione, ad miſanthropiam, & vitam ritu auium exigendam deuenerint. Quæ quanta ſit calumniæ atrocitas atque malignitas, ibidem oſtendo, & bene etiam Alanus Copus, & apertè infrà, ex Eccleſiæ iudicio & gentium omnium ſenſu conſtabit, vbi diligentiùs in horum ſanctorum inſtituta & vitæ rationem inquiſiuerimus. In quam rem conſideranda nobis eſt, columna cui inſidebant, & modus viuendi in ea obſeruatus, ab his verè auibus cæli, vt titulum magno Dionyſio à Chryſoſtomo [a] ob ingenij ſublimitatem attributuntum, ad hos aëris inquilinos non incongrueter, accommodem.

[a] *Tom. aduerſus hæreſes.*

3. *Stylitæ* nomen, à *ſtylo* ſiue columna, dictum eſt. Græcis enim σ7ύλ@ idem eſt quod Latinis columna. Affinitas quidem nonnulla eſt, vt vocis, ſic & notionis ſubiectæ, inter σ7ύλον & σ7ήλιν, quo nomine propriè deſignatur cippus tumulis ſepulchralibus impoſitus: extenditurque ea vox ad columnas ignominiæ inferendæ conſtitutas, vt dixi, agens de Monitoriis. In præſenti tamen negotio, ſtylitæ, vt *p. 2. c. 7. n. 5.* ortographia monſtrat, à *ſtylo* ſiue columna ſimpliciter dicta, id eſt, neque famoſa, neque ſepulchrali denominantur. Alioqui *ſtelitæ* vel *ſtilitæ*, dicendi fuiſſent, cùm tamen paſſim *ſtylitæ* denominantur, quia columnæ in eum finem conſtitutæ inſiſtebant. Duo de ea columna occurrunt quæſitu & explicatu digna. Vnum cuiuſmodi ipſa eſſet; quò ſpectat eius

forma, atque compactio, & sublimitas. Alterum quomodo infernè se haberet, siue vbi collocata esset, ac quid circum ipsam imam cerneretur: quæ duo expedienda breuiter sunt, priusquàm vitæ ratio in columna seruata, attingatur.

4. Compingebatur columna ex hastili seu trunco, & modio superposito. Formam siue figuram hastilis, nemo perspicuè expressit. Potuit enim columna, & rotunda, & quadrata esse, alitérve figurata, eo toto spatio quod ab ima terra ad medium vsque excurrebat. Dicebatur *modius*, locus in suprema columna. *Cellulam* vocat Asconius Pædianus; obseruans, primum omnium Caium Mænium, cellulam ex tabulis supra columnam extruxisse: cùm enim domum suam venderet ad ædificandam basilicam, excepit sibi ius vnius columnæ super quam tectum coniiceret, compactum ex tabulis, vnde ipse ac posteri spectare possent munus gladiatorium, quod tunc in foro edebatur. Inde iuxta Festum V. *Mæniana*, dicta ædificia *Mæniana*, quia primus Mænius, vltra columnas extendit tigna, quò superiora ampliarentur. Huic modio interdum nullum superponebatur tectum, vt liber esset in cælum prospectus: aliquando autem superponebatur, vt apertè liquet ex suprà adducto Theodoreto, describente varias ad sanctitatem vias, necnon ex actis S. Danielis Stylitæ, vbi narratur, ex immani hyemis rigore, sanctum virum pessimè

affectum

affectum esse, & in procella triduana ferè conglaciasse, præ tecti præsertim defectu. Itaque Leonem Imperatorem S. Danieli timentem, institisse supplicibus precibus, vt mitiùs secum ageret, tum subditur. [Hæc & his plura dicente Imperatore, & rogante, & pedes simul præhensante, vix sustinuit vt sibi paruum saltem fieret tectum, reueritus lacrymas Imperatoris.] En itaque tectum suprà modium capiti columnæ superpositum, iuxta illud eorundem S. Danielis actorum. [Dat Marcus quidam & amicus, & alioqui familiaris, columnam. Cùm autem factus esset is quoque qui solet vocari *modius*, & capiti columnæ fuisset adaptatus, ascendit columnam.] Disiecit hoc tectum à sua columna S. Alypius Cyonita [a] vt Satanæ lapides in eum iactantis, ictibus pateret, & hosti antiquo duriore perpessione insultaret.

[a] *Act. S. Alypy 26. Nou.*

5. Cùm autem modius nullis veluti parietibus ad tectũ vsque surrigeretur, ac ne peribolus quidem extaret, oportuit, vt in rhedis assolet, fulcra quædam ex aliquot modij partibus tectum sustinere. Aio nullos modio inextitisse quasi parietes, ac ne peribolum quidem. Ita enim colligitur ex Actis S. Simeonis [b], referentibus defluxisse vermes è corpore S. Simeonis in columnam, & illicò è columna in terram decidisse. Nominatimque notatur de Basilio Rege Saracenorum, cùm ex orantis Simeonis corpore delapsum vermem aduertisset, accurrẽtem, collegisse vermem, & versum in marga-

[b] *c. 7. 8.*

ritam pretiosissimam deprehendisse. At eum vermium effluxum adeò subitum, prohibuisset, quasi paries & peribolus continuus, à modio ad tectum (saltem ex parte,) productus. Idem insinuatur ea Satanæ ludificatione, qua Simeon Stylitarum princeps, persuasus adesse currum igneum à Deo submissum, ipsi in cælum subuehendo instar Heliæ, dextrum pedem extulit, currum conscensurus; qui tamen ad efformationem signi crucis, inter efferendum pedem euanuit. Viro sancto post deprehensam ludificationem, in citæ credulitatis pœnam, sic affato pedem suum. [Non reuerteris retrorsum hinc, sed stabis hîc vsque ad obitum meum, donec accersat me Dominus peccatorem.] Et fidem verbis fecisset, nisi post annuam insistentiam super alio pede, enatum in eo vulnus chionium, (vt notauit Theodoretus) iniecisset necessitatem retrahendi introrsum pedem dextrum, eique deinceps insistendi post putrefactum nimia insistentia pedem sinistrum; vberi sanie continuò manantem. At illa pedis dextri per annum sublatio extra modij ambitum, non modò parietem surrectum vsque ad tectum, sed etiam peribolum defuisse, insinuare videtur; quantumcumque aliud innuat vox *modij*, fortè minùs commodè exprimens Græcam vocem ab Auctore actorum Danielis adhibitam, ad exprimendum orbem, vel quadrum columnę superpositum. Quem etiam ex Euagrio [a] atque Nicephoro [b] discimus, fuisse

[a] *lib.* 1. *c.* 13.
[b] *lib.* 14. *c.* 51.

fuisse eiusmodi, vt cùm non esset duobus cubitis amplior, præberet sedendi opportunitatem, sed non iacendi.

6. Ita ferè habuit compactio & forma columnarum quibus insistebant stylitæ, qui imitati ferè omnes videntur S. Simeonem, primum stylitam, cuius columna ad eum modum quem proposui, fuit efformata. In columna tamen Danielis Stylitæ, fuit aliquid singulare hac in parte. Non enim insistebat columnæ simplici, sed duæ columnæ commissæ, supponebantur columnæ quam immediatè premebat. Sic enim lego in eius Actis. [Cadebant imbres plurimi, & ventorum erat procella vehemens: venti verò etiam inter se agitabant seditionem, & multi simul spirabant: & adeò violenti & immanes, vt ferreas ansas columnarum, quæ duas columnas inter se committebant & coniungebant, & Danielem in alto ferebant, violenter auellerent: ille autem in parua sola contineretur columella, quæ inter eas erat iniecta. Simul ergo & procella irruebat, & conquassabantur columnæ, & Iustus supernè tanquam ramus arboris, huc & illuc circunferebatur, & flatu circumagebatur.] Mox autem hoc totum, vocatur vna columna. Addit quippè Auctor actorum. [Nouerat imperator, quæ iusto Danieli acciderant, & contendit ad videndam columnam, partim quidem pœnas sumpturus de his qui ansas non effecerant firmas & validas; partim verò, vt

eas

eas tutò de cætero committeret.]

7. E duobus circa columnam ipsam propositis, expeditum est prius, nempe eius compactio: nunc aliud ad eam maximè pertinens considerandum est, nempe columnæ sublimitas & altitudo. Hæc apud varios Stylitas varia fuit, imò apud eundem varia, pro temporis varietate. Audi Antonium [a] B. Simeonis discipulum, & Actorum eius scriptorem. [Fecit columnellam cubitorum quatuor, stetitque in ea annos quatuor. Crescebat autem de eo fama sancta per orbem terræ; & faciunt ei columnam habentem cubitos duodecim, & stetit in ea annos duodecim. Rursumque fecerunt columnam cubitorum viginti; & stetit in ea annos duodecim. Tunc congregati sunt omnes habitatores loci illius, & ædificauerunt iuxta ipsam columnam basilicas duas, & columnam cubitorum triginta, & super ipsam stetit annos quatuor, & cœpit virtutes facere.] [b] Alio loco meminit columnæ quartæ, cubitorum quadraginta, (triginta sex cubitorum tantùm eam facit Theodoretus [c],) in qua per annos sedecim hæsit, vsque ad felicem migrationem. Daniel item stylita, à prima columna per Marcum ipsi constructa, migrauit posteà ad columnam Gelasij excelsiorem, & crassitudine validiorem, basique & adiunctis omnibus magnificentiorem, vt eius Acta disertè produnt.

[a] *cap. 5.*
[b] *cap. 10.*
[c] *In relig. hist.*

8. Enascitur autem ex illis Danielis actis, difficultas non dissimulanda, quomodo S. Daniel in

in ea excelſiore columna conſtitutus, potuerit à Gennadio Conſtantinopolitano initiari ſacerdotio, vt factum eſſe de Imperatoris voluntate, produnt Acta verbis iſtis. [Cùm autem Epiſcopus, & qui ſequebantur Epiſcopum, multùm rogauiſſent, vt admouerentur ſcalæ, & ad eum aſcenderent, prohibebat inuictus Daniel: imminebat autem iam mediis eorum capitibus, calidis eos feriens ſol radiis; & videbat Epiſcopus multitudinem ſiti & æſtu torreri, iubet inferiùs quidem Archidiacono, preces dicere conſuetas. Ipſe autem cùm eſſet precatus, ordinat Magnum Danielem, etiam non præſentem presbyterũ:& ſimul multitudo de eo, qui erat verè dignus, clamabat, *dignus*, Cùm ſic Patriarcha Gennadius Danielem nominaſſet ſacerdotem, & *ecce* dixiſſet, *& tibi populus iuſtam de more propterea emiſit vocem. & Deus de ſuper tibi per me manum impoſuit; & omnia, vt ſemel dicam, ſuſcepiſti ſigna ſacerdotij.*]

9. Quomodò Daniel in adeò alta columna ſublimis, atque adeò non præſens potuit ordinari? Nam quod de Phedimo eſt apud Nyſſenum, facilè expeditur. [Impetu quodam Diuino, (ait [a] de Phedimo Epiſcopo Gregorium initiante Nyſſenus;) ad propoſitum ſtudium prouectus, nihil curans interiectum ſpatium quo ab Gregorio dirimebatur, (quippe ille aberat itinere tridui, ſed ad Deum ſuſpiciens, precatuſque, vt & ipſe, & ille pariter in illa hora

[a] *Orat. de Greg. Thaum.*

hora à Deo respiceretur, loco manus impositionis, Gregorio adhibet sermonem, Deo consecrans eum qui corpore coram non adesset, & illam ei ciuitatem destinans atque attribuens.] Igitur hæc non fuit nisi Initiatio destinata, & addictio Gregorij in Pontificium munus: quod apertè ferunt illa mox à Nysseno subiecta. [Sic igitur iugum subire coactus, omnibus post hæc quæ fieri solent solemnibus in eo peractis, cùm exiguum tempus ad mysterium exactiùs cognoscendum, ab eo qui sacerdotium ipsi assignauerat, petiisset, *&c.*] Quare posteà peracta sunt solemnia circa Gregorium; atque ita difficultas ex absentis ordinatione euanescit. Danielem autem qui in columna sublimis ab Gennadio subtus procul posito initiatus dicitur, quomodò validè initiatum agnoscemus; quandoquidem siue manum impositio, siue materiæ contactus, siue vtrumque initiationi sacerdotali intrinsecum statuatur, non potuit locum habere circa adeò seiunctum loco.

10. Omninò igitur dicendum est, sicut circa Gregorium, ita circa Danielem, peracta posteà esse solemnia: idque ferre videntur, quæ in iisdem B. Danielis Actis, post recitata Gennadij Antistitis dicta, subiiciuntur, his verbis. [Restat ergo vt scalæ admoueantur columnæ, vt sis etiam sacri particeps sacrificij; & Deo vocanti, omninò cedas. Tunc cùm Beatus cognouisset Daniel, hæc non fieri sine Dei nu-

mine,

mine, sed ei quoque grata esse & accepta quæ facta sunt, iubet poni scalas, & Cælestem margaritam, (Diuinam inquam communionem,) & dat, & accipit. Deinde cùm etiam fecisset alia omnia quæ solent fieri à sacerdotibus, & precatus esset pro multitudine, eos dimisit lætantes simul & admirantes: partim quidem propter præscientiam & verè laudabilem timiditatem; partim autem quòd, vix quidem, persuadetur tamen ipse, quidem accipere sacerdotium, illis verò præbere preces & benedictionem.] Insinuari hîc videtur suppletum posteà esse in Daniele præsente, nec vlteriùs refragante, quod defuerat absenti.

II. Redeo ab excursione in viam. Ad eam columnarum altitudinem captandam, multiplex causa intercessit. Qui Simeonem primum stylitam sunt æmulati, ferè videntur viri illius sanctissimi imitationem, & elongationem à sæculi lutositate, ac sui ipsorum afflictationem habuisse propositam. Quod assumo, primum qui columnam subiit, Simeonem fuisse, est indubitatum. Labitur enim Anneus Robertus, [a] anteriorem Simeone statuens columnariorum vsum; deceptus iis quæ de posteriore Simeone stylita habet Nicephorus; [b] nec aduertens, quæ de primo Simeone præmiserat [c]. Simeon ergo ad eam excelsitatem adactus est, ne opprimeretur ab aduentãtium multitudine, vt intelligitur ex Theodoreto, [d] qui calumnias in hunc insolitum vsum tunc primùm à Simeo-

[a] *lib. 2. rerũ iudic. c. 2.*
[b] *lib. 18. c. 24.*
[c] *lib. 14. c. 51.*
[d] *cap. 26. Θεοφ.*

ne

ne inductum retundens, ait Simeonem magno ad eum concursu facto, cùm adhuc hæreret in mandra montana, alligatus rupi vno initio catenæ ferreæ viginti cubitorum; altero autem suo dextro pedi immisso, non raró esse de oppressione periclitatum: quamuis ante conscensam quartam columnam triginta cubitorum non fieret ad eum concursus nisi precationis gratiâ. Multo magis autem timenda fuisset oppressio, post conscensionem quartæ illius columnæ, qua adita, Diuinorum munerum & curationum omnis generis ab eo deriuatarũ, vbertas se prodidit. Hæc igitur fuit Simeoni conscendendæ columnæ causa prima, quam bellè adscriptus Theodoreti locus illustrabit.
[a] *cap.* 26. *Θεοφ.* [[a] Cùm ergo (inquit,) peruolaret fama in omnes regiones, concurrebant omnes, non solùm vicini, sed qui etiam multorum dierum itinere aberant, alij quidem paralyticos afferentes, alij verò ægris sanitatem petentes, alij autem, vt patres fierent rogantes, & quod à natura non acceperant, ab illo volebant accipere. Cumque acciperent, & quæ postulabant impetrarent, læti quidem redibant, quæ autem erant consecuti beneficia prædicantes, longè plures eadem petituros emittebant. Sic autem omnibus vndique aduenientibus, & per totam viam instar fluminis affluentibus, videre est pelagus hominum in illo loco constitutum, quod fluuios vndequaque excipit. Non solùm enim confluunt qui nostram habitant regionẽ, sed &

Ismaëlitæ,

Iſmaëlitæ, & Perſæ, & Armenij qui ſunt eis ſubiecti, & Iberes, & Homeritæ, & qui illis ſunt interiores. Venerunt autem multi quoque qui habitant extrema Occidentis; Hiſpani inquam, & Britanni, & Galli, qui quod eſt intermedium occupant. De Italia enim, ſuperuacaneum eſt dicere: aiunt enim Romæ, quæ eſt longè maxima, eum fuiſſe adeò omnium ſermone celebratum, vt in officinarum omnibus veſtibulis, & porticibus, ei paruas poſuerint imagines; hinc ſibi præſidium & tutelam parantes. Cùm ergo venirent innumerabiles, (conabantur autem omnes contrectare, & ex pelliceis illis veſtibus aliquam percipere benedictionem;) primum quidem abſurdum & alienum exiſtimans, tam inſignem ſibi haberi honorem; deinde etiam rem ægrè ferens, vt nimis laborioſam; machinatus eſt illam in columna ſtationem.]

12. Nec illa alia ſubeundi præcelſam columnam cauſa ſpernenda, quam mox indicat Theodoretus; adeò ſcilicet ſublimem eſſe voluiſſe Simeonem, vt cælo propinquior euaderet, & à terra tot ſcatente turpitudinibus elongaretur. Quod ſanè aſſequebatur, per ſubuectionem ad eminentiam planè notabilem, quantam columna tam ſublimis, & locus editiſſimus in quo columna conſtituta erat, conferebant. Mons enim erat in quo columna ſtabat: nec mons qualiſcumque, ſed admodùm editus, nimirum ſtadiis trecentis, vt eſt apud Euagriū,

qui vtitur Græca voce τριακοσίοις. Et cùm Nicephorus ex Euagrio profecerit, liquet corruptè Langium, apud Nicephorum vertiſſe *triginta.* Ex monte igitur altitudinis trecentorum ſtadiorum, & fixa in monte columna triginta ſex aut quadraginta cubitorum, exiſtebat Stylitæ à terra ſubuectio, & ad cælum appropinquatio planè magna.

13. Satis de columna, eiuſque ſtructura, forma, altitudine. Addendum breuiter ſupereſt aliquid, de iis quæ inferiùs illi adiacebant. Infernè ergo circum columnam erat ſeptum, quod fuiſſe confectum circa locum columnæ S. Simeonis, priuſquam columna ſtatueretur, & vir ſanctus eam ſubiret, teſtatur Theodoretus, deſcribens alligationem ad rupem hoc ſepto concluſam. Et quamuis nulla intra illud S. Simeonis ſeptum domuncula ſtructa erat, ſiue ad diſcipulos, ſiue ad hoſpites excipiendos, (vt S. Daniel Stylita Leoni Imparatori profeſſus eſt, cùm circum eius columnam, pro diſcipulis & hoſpitibus, inuito viro ſancto ſtruxit domunculam;) tamen non ſemel in actis S. Simeonis, nomine *Monaſterij*, donatum huiuſmodi ſeptum videmus. Vnde Ionathas inſignis latro, cùm pœnitentiæ cauſa veniſſet ad S. Simeonem, dicitur ingreſſus monaſterium, & tenuiſſe columnam. Et in Actis S. Danielis ſic legitur. [Venit ad mandram illam, in qua erat ſita columna Beati Simeonis. Infrà enim circa eam erat quoddam monaſterium.] In

Actis tamen S. Alypij Cionitæ describitur propriè dictum monasterium circum columnam, nec ita procul erat etiam monasteriũ fœminarum sub eiusdem S. Stylitæ disciplina. Sed sistamus in septo S. Simeonis qui Stylitarum princeps fuit. Fuisse in eo septo Basilicam, id est, Ecclesiolam, mox dicam ex Gregorio Turonensi. Quinetiam Antonius in Actis S. Simeonis, [a] circum tertiam eius columnam, duas fuisse huiusmodi basilicas, meminit. Ianuæ qua occludebatur septum, & aditus ad columnam prohibebatur, mentio est apud Moschum qui ex Athenogene [b] Petræ Episcopo refert, sanctum quendam prouinciæ illius Stylitam, vetuisse aperiri septi ostium, quod homo nequam & Deo exosus subire tentabat.

14. Excludebantur eo septo mulieres, testibus Euagrio [c] atque Nicephoro [d]. Satisque innuitur in Actis S. Simeonis, in quibus Antonius [e] describit eiulatus matris Beati viri, prohibitæ videre filium, aut vocem eius audire. Nimirum quia neutrum præstari poterat, nisi intra septum, quò mulieres non admittebantur. Quamquam post triduanam remoram, qui aderant, moribundam collegerunt, [& adduxerunt in conspectum eius.] Sed inductio illa mulieris intra septum, in tot adiunctis singularibus, nempe matris, longa patientia fatigatæ, moxque animam efflaturæ, ægrè trahi potest ad conuellendum quod diximus, de mulieribus à septo columnæ circumposito exclusis,

[a] *cap.* 5.
[b] *c.* 119. *Prati Spirit.*
[c] *lib.* 1. *cap.* 14.
[d] *lib.* 14. *cap.* 51.
[e] *cap.* 9.

 lege

lege (vt ſic dicam,) ordinaria, ac etiam circa primarias fœminas vigente, ita vt de Regina Iſmaëlitarum ſic ſcribat [a] Theodoretus.] Iſmaëlitarum Regina cùm eſſet ſterilis, & cuperet filios, primùm quidem miſſo aliquo ex iis qui valebant dignitate & auctoritate, obſecrauit vt mater fieret. Poſtquàm autem aſſecuta eſt petitionem, & peperit vt cupiit, accepto Rege qui natus fuerat, profecta eſt ad Diuinũ Senem; & quoniam non licebat mulieribus ad eum accedere, ad eum miſſo infante, rogauit, vt conſequeretur eius benedictionem. Tuus enim (inquit,) eſt hic actus. Ego enim obtuli cum lacrymis ſemen orationis; tu autem ſemen effeciſti manipulum, cùm Diuinæ gratiæ imbrem attraxiſſes per benedictionem.]

[a] cap. 26. θεοφ.

15. Eudocia tamen Imperatrix, ad S. Danielem Stylitam admiſſa videtur. Sic enim habent Acta. [Cùm fama ſanctum vbique prædicaret, ad eum venit etiam Imperatrix Eudocia, quæ nuper ſeruata ex Affrica. Et magnam quidem ei reuerentiam, multum autem tribuens honorem, & rogans ipſum vt de columna quidem deſcenderet, ad ſua verò loca veniret, & ea habitaret: Sunt autem (dicebat ea,) mihi multa, & ſimul quidem amica ſilentio, & quæ aliam poſſint præbere conſolationem. Ille verò bonam eius mentem accipiens ac laudans, ſtatuit non tranſmigrare, ſed in eo loco perſeuerare, in quo fuerat à Chriſto plantatus: & virtutis radices in eo agere, & fructum

ctum conuenientem dare suo tempore. Cùm hæc & alia eiusmodi dixisset, & benedictione eam impertiisset, emittit.] Hæc emissio, insinuat intromissionem, siue ingressum ad columnam septo conclusam. Imò ex causa vrgentissima, (qualem circa S. Simeonis matrem retulimus,) Mamas spurca mulier, quæ S. Danieli calumniam struxerat, & idcircò à Dæmone correpta erat, à ciuibus ad illum intrò deducta est, curationis gratia. [quæ illius amplexa columnam, magnas quidem agens gratias, & deinceps multa Deo promittens, *&c.*] Amplexus columnæ, monstrat eam intra septum fuisse deductam, vt curationis beneficium à sancto Stylita quem dehonestauerat, exoraret. Passim tamen, ac de lege (vt aiebant,) ordinaria, ac nisi causa vrgentissima laxationem legis extorqueret, fœminæ omnes ab eo septo excludebantur.

16. Quinetiam post S. Simeonis felicem excessum, licèt columna insessorem haberet nullum, nec esset ædicula vlla circum eam, quam viri incolerent religione clari; ex vsu tamen qui viguerat superstite S. Simeone, excludebãtur illius septi aditu mulieres, vt confirmat narratio his verbis concepta à Gregorio Turonensi. [a] [Simeon Confessor, qui in columna pagi Antiochensis dicitur stetisse, frequenter incolis tribuit sanitates. Et quia, vt legitur in eius vitæ libro, nullam vnquam mulierem post conuersionem oculis attentis inspexit; postquàm

[a] *l. de glor. Confess. cap. 26.*

verò columnæ editiori, se sanctitate feruens inuexit, non modò extraneæ mulieri, verumetiam nec propriæ matri se videndum permisit. Et nunc ergo, locum ipsum ab huius sexus defensat accessu. Nam ferunt quandam mulierem indutam fuisse veste virili, & in Basilicam ingredi voluisse columnæ. Tractauit secum misera agere posse per indumentum, quod latere posset Altissimum, ignorans illud Apostoli, quia *Deus non irridetur.* Et licèt ibi veniens ad templum erexit pedem, vt sanctum ingrederetur limen, tamen protinus retrorsum ruens cecidit, & mortua est; satisque fuit populis, ne hæc vltra mulier vlla præsumeret, cùm in istam cerneret vltionem pessimè irrogatam.]

17. Dictum satis de columna, eique adiacentibus. Iam quæ esset sanctorum Stylitarum agendi & viuendi super eam ratio, intelligi poterit, considerato eorum & externo & interno homine: iis inquam quæ ad corporalem exercitationẽ attinentia, foris parebant, & aliis quæ in abscondito cordis homine obita, Dei solius oculis erant conspicua. Et quoad corporis quidem exercitationem, quæ iudice Apostolo non est tanti, breuiter dici potest, eos carnalium ac terrenorum Angelorum ritu, & hominum vitam cælitum in terra æmulãtium, (vt infrà cum Eulogio & Nicephoro dicam,) vitam in carne non secundùm carnem exegisse, propè vt Angelici spiritus. Vnde sicut sancti Angeli qui carne destituuntur, de cibo, potu ac somno non cogitant,

tant, toti autem sunt in Dei laudatione; sic sancti Stylitæ, medij quadantenus inter nos, & Angelos, nec comedisse, aut bibisse, nec somnum cepisse videri possunt. Absit vt eos extra communem hominum naturam ablegem, & ambigam an verè & simpliciter homines fuerint; quod immeritò aliqui de S. Simeone in dubium vocarunt, referente Theodoreto. [a] Sed tametsi homines haud dubiè essent, & pro humanæ naturæ conditione, cibum, potum, somnúmque deposcerent; adeò tamē parci erant in satisfaciendo communibus humanæ naturæ necessitatibus, vt videri posset ab eis immunes.

[a] *cap.26. Θεοφ.*

18. Videri profectò poterat S. Simeō venisse non manducās neque bibens, qui extra quadragesimam pauxillum omnino cibi, semel quot hebdomadis adhibebat: sic enim Theódoretus illum describens orātem. [Semper se inclinans, propè digitos pedum, frontem admouet. Nam cùm vēter semel in hebdomada alimentum accipiát, idque exiguum, quantum est Diuinorum Sacramentorum participatio, dorso concedit, vt facilè inflectatur.] In quadragesima verò, in spiritum cibi expertem transisse videbatur. Sanctus quidem Augustinus, [b] vt rem miram & stupendam recitat, quod vnus aliquis, semel duntaxat, ad dierum quadragenam ieiunus peruenisset, vita incolumi. Quo igitur loco habuisset S. Simeonem, qui, cùm eius acta conscriberet Theodoretus, annos iam octo supra viginti, solidam quotannis quadragenam,

[b] *ep.86.*

planè ieiunus exegerat, nihil interim de assidua Dei laudatione remittens, ac ne sessione quidem corpusculum subleuans, sed statione semper erectus? Verum est, eum huius exercitationis initio, post aliquot quadragenæ sacræ dies, cùm præ debilitate impotens ad standum euasisset, sedere aliquantisper solitum, ac denique etiam accubuisse. Ne tamen fatiscente natura præ lassitudine descendere è columna cogeretur, vt ait Theodoretus; [aliam rationem excogitauit, vt staret. Nam cùm trabem quandam columnæ alligasset, & seipsum rursus funibus trabi adaptasset, sic quadraginta dies perpetuos transegit. Post hæc autem cùm maiorem deinceps à superis gratiam accepisset, ne hoc quidem opus habuit auxilio: sed stetit quadraginta dies, cibum quidem non sumens, sed alacritate animi & Diuina gratia confirmatus.]

19. Quid loquar alias corporis diuexationes & perpessiones, quibus vix caro ænea par esse potuisse videatur? In loco quippè adeò edito constituti Stylitæ, omnibus cæli injuriis patebant, exempli gratia, S. Simeon in monte præcelso locatus, & insistens columnæ quadraginta circiter cubitos extanti, quanta ab imbribus, ventis, procellis, cælo ipso, perpessus est? Ipse sanè aër, in editissimo monte, & sublimiùs adhuc extante columna, tenuissimus erat, & vix ad cordis refrigerationem idoneus. Hanc enim causam assignat Aristoteles, cur Olympũ subeuntibus

euntibus, admouendæ essent spongiæ aqua perfusæ, ne cor præ aëris tenuitate suffocaretur. Et quanquam non erat vertex columnæ adeò editus, vt ventos, & imbres excluderet, quod Olympo præ sublimitate ferunt accidere: præ ea tamen celsitudine quam suprà exhibuimus, aërem ibi, & tenuiorem, & frigidiorẽ fuisse, dubitare non licet, quippe accedentem ad eam regionem mediam, quæ præ remotione à radiis, est officina impressionũ frigidarum; & naturæ inferioris veluti armamentarium: vnde inibi ventos, imbres, tempestatesque sonoras, locum habuisse, & magnas inde perpessiones viro sancto irrogatas, est manifestum. Meritoque in Actis S. Danielis legitur, cùm is & socij peruenissent [ad vicum qui nominatur *Telada*, vbi magnus ille in sanctitate Simeon, magnos illos peragebat labores exercitationis, cùm ad ipsam iam venissent columnam, contemplabantur & columnæ altitudinem, & æstatis calorem, & minas imbrium, & vim ventorum, & omnem aliam corporis tolerantiam.] Nec minora de ipso S. Daniele ibidem posteà subduntur, præsertim ex quo columnam sublimiorem à Leone Imperatore sibi constitutam conscendit; vbi & æstate torrebatur acriùs, & hyeme frigore sæuiore adurebatur, vsque adeò vt in glaciem aliquando concresceret. Quid quod ventorum vehementia, multos Stylitatum deiecit, vt Theophanes ad 6. Constantis annum, Christi 647. annotauit? Tot igitur tantisque

corporum incommodis obnoxij homines Dei, quos vel ſola in eodem loco inſiſtentia duriſſimè habebat, eiuſmodi vitam vixerunt, quæ ad martyrium incruentum, planè ſufficiens, videri meritò poſſit. Et ita pereleganter traditur ab Auctore Actorum S. Alypij Cionitæ, quæ exhibet Metaphraſtes [a].

[a] 26. Nouemb.

20. Non minùs admiranda fuit in ſanctis Stylitis, interioris hominis exercitatio, quæ virtutibus ſiue Theologicis, ſiue moralibus continetur. Nam iis quidem virtutibus quæ in Deum immediatè collimant, & idcircò *Theologicæ* nuncupantur, fuêre eximij. Fides in eis pura & præcellens. Vnus ſanè aliquis Stylita Hierapolitanus, labe Seuerianæ hæreſis ſordens, profertur à Moſcho in limonario. Sed eum denique Ephræmius [b] Patriarcha reduxit ad fidem ſynceram, pactus ignem cum eo ſubire, ad veræ fidei diiudicationẽ. Cúmque Stylites, vbi ad rem ventum eſt, & pyra ſubeunda, animum deſpondiſſet, Patriarcha ſtolam qua induebatur exutus, eam in ignem coniecit: vnde poſt tres horas, conſumptis iam omnibus lignis, duxit illæſam. Quo miraculo conuictus Stylites, manus dedit, & eiurauit Seuerum. Alium oblæſæ fidei Stylitam, non memini legere; ſed laudatos omnes video à ſyncera fide, & zelo pro ea incenſiſſimo. Sic S. Elogius ea oratione [c] qua ſolitudini præconium panxit, commendat S. Simeonem Stylitem à fide vſquequaque ſana: & quod in magnis Ec-

[b] cap. 36.

[c] orat. 9.

cleliæ circa fidem, turbinibus, immotus semper stetisset, tenacissimè adhærens confessioni Catholicæ. Eundem Theodosius [a] Imperator, literis quæ prostant in Ephesino Cōcilio, adhibuit in causa fidei sequestrum, Cyrillum inter Alexandrinum ac Ioannem Antiochenum, quòd probè nosset quàm nitens & pura esset B. Simeonis fides. Danielem Stylitam, constat fuisse acerrimum Catholicæ fidei propugnatorem; id quod tum præsertim prodidit, cùm sæuiente Basilisco Tyranno, & in fidem Catholicam grassante, euocantibus episcopis, descendit è colūna; & forti certamine Tyrannū aggressus, fidei incolumitati prospexit. Similia de aliis, (cùm res tulit,) obseruare operosum nō fuerit.

[a] *t. 5. cap. 15. edit Pelt.*

21. Spem sanctorum Stylitarum, ipsa eorum erectio signabat. Vnde verò illis tantæ vires, & tanta tamque illabefacta constantia, & firmitas animi, in tanta mole perpessionum? Planè ab hoc *fidei sanguine*, (sic enim *spem* nominat Clemens Stromateus,) toti interno homini vigor, & præcellens alacritas in eis notata promanabat. Inde contemptio caducorum omnium, ita vt oblatis quibusuis commodis, omnia respuerent. Testis Daniel Stylites ad Eudociæ promissa. Idem cùm Leo Imperator omnia prolixè deferret, gratus in virum sanctum ob prænunciatas, & in fumum solutas Genserici Vandali Alexandriam tentantis machinationes; pro magno & vnico munere, pauxillum quid è sacris B. Simeonis exuuiis sibi expetiit,

petiit, cætera despuit. Simeonem verò Stylitarum antesignanum, quid nisi spes firmissima, cælestibus inhians, terrena fastidiens, firmauit in columna per annos sex supra quinquaginta? Totidem enim annos, medius inter cælum & terram exegit. De aliorum sanctorum Stylitarum spe, idem proportione statu itor.

22. Charitate omnes flagrarunt admirabili, siue in Deum, siue in proximos. Nam argumentum quidem luculentum incensissimæ in Deum charitatis, suppeditat suiipsorum velut eiuratio, & ab omnibus vitæ humanæ commodis constans subductio, cùm tot tantisque propter Deum perpessionibus, quantas legentes aut recolentes stupemus. Ad quem lapidem Lydium, S. Theodorus [a] Studita germanam probatorum sanctorum charitatem examinat. Planè nõ potuit ipsos à charitate Christi separare tribulatio, non angustia loci cui insistebãt, non fames in perpetua propè inedia, non nuditas in summa frigoris acerbitate, & imbrium ac procellarum sustinentia. Sed neque mors meritò extimescenda in tot incommodis, neque vita periculo ab iisdem obiecta, neque altitudo columnæ, neque subiectum & profundum, neque creatura alia potuit eos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.

[a] *orat. de charit.*

23. Eorundem charitas in proximum, per se perspicua est ex ingentibus bonis quæ in bonum proximorum studiosè perfecerunt. Instar

ſtar omnium eſſe poteſt Simeon, de cuius erga alios flagrantiſſimis ſtudiis, ita Theodoretus. [A munifico & liberali Domino, accepit etiam donum Doctrinæ : & bis quotidie faciens admonitiones, irrigat aures eorum qui audiunt, pulchrè admodùm loquens, & diuini ſpiritus exhibens diſciplinam. Et iubens in cælum ſuſpicere, & euolare, & à terra diſcedere, & regnum quod expectatur, viſione apprehendere; & gehennæ minas timere, & terrena contemnere, & futura expectare. Licet autem eum quoque videre iudicantem, & rectas & iuſtas ferentem ſententias. Hæc autem & quæ ſunt huiuſmodi, fiunt poſt horam nonam. Totam enim noctem & diem vſque ad nonam, orat perpetuò. Poſt nonam autem, primùm quidem diuinam doctrinam exhibet præſentibus; Deinde audita vniuſcuiuſque petitione, cùm aliquas fecerit curationes, componit lites eorum, inter quos eſt controuerſia. Circa occaſum autem ſolis, deinceps incipit conuenire Dominum, ſed quamuis in his verſetur, & hæc omnia faciat, nec ſanctarum Eccleſiarũ curam abiicit & prouidentiam: aliquando quidem pugnans cum impietate gentium; aliquando autem fundens ac profligans turmas Hæreticorum. Et aliquando quidem de his ſcribens ad Imperatorem, aliquando autem præſides ac magiſtratus ad Diuinum zelum excitans; aliquando autem ipſis quoque Eccleſiarũ paſtoribus, maiorem gregis curam gerere præcipiens.]

24. Itaque

24. Itaque non obiectu suo duntaxat (quanquam & hoc pacto mirificè proderat, eodem Theodoreto teste,) sed etiam nauitate & labore innumeris commodauit mortalibus; arguens, obsecrans, increpans, erudiens in omni patientia & doctrina. Erudiuit vtroque illo modo, cùm alios, tum magnum imprimis Danielem, quem obiectu suo atque conspectu excitatum, cominus per scalas appositas adesse iussum, salutaribus monitis ad omnem patientiam informauit: insuperque per visum apparens, auctor ei fuit vt relicto consilio adeundi loca sancta, pergeret Bizantium, constituturus in vicinia columnam, cui insisteret ad plurimorum salutem. Ita enim disertè admonebat; & à Deo profectam esse admonitionem, probauit euentus. Vix enim exprimi oratione potest in quantam omnis generis mortalium vtilitatem, cesserit ea columnæ subitio per Danielem.

25. Nec alij Stylitæ parcè Deo fœnerauerunt, aut proximis tenuiter, quà verbo & doctrina, quà factis & exemplis commodarunt; iis præsertim qui in eorum disciplinam tradebant sese. Erant quippe Stylitis omnibus discipuli, quos è columna tanquam è suggesto informabant. Simeonis nominatim, recensentur discipuli duo, Antonius vitæ scriptor, & Sergius; qui iussus magistri cucullum ferre ad Leonem Imperatorem, Danieli tradidit, edoctus diuinam voluntatem. Danieli quoque

fuêre

fuêre discipuli, quos magistro in procella vehementissima timentes, exhibent acta. Eosdemque per calumniam ab impura Mænade muneribus corrupta traductos legimus. Iulianus è columna Præfectum agebat cœnobij; cuius miracula recenset Moschus [a]. Præterito tamen illo insigni de prunis ardẽtibus missis in linteo prorsus illæso, eodemque remisso aqua pleno. Præerant porrò discipulis pij magistri, non tam verbo & imperio, quàm exemplo. Est enim sacrorum præfectorũ decus proprium exemplo regere. In quam rem scitè Turrianus obseruat à Paulo spirituales præfectos dici ἡγουμένους, quia debent esse forma & factis suis ductare cæteros: Sæculares verò Rectores, dici ἐξουσίας, quia gladium portant, & pro potestate coërcent, de exemplo nequaquam solliciti.

[a] *cap. 28. & 57. & 58.*

lib. 5. cõtra Magdeb. c. 9.

26. Perstrictis obiter Theologicis Stylitarum virtutibus, attingamus morales, vel potiùs paucas aliquas inter eas, quarum est præ cæteris, in hominibus Dei, illustre decus, religionem, obedientiam, humilitatem. Religio moralium virtutum Antistita, mirum quantum in sanctis Stylitis splenduerit, quod monstrat primarius religionis ramus, oratio; & diuini cultus vsquequaque diffundendi, ac perficiendi flagrãs studium, genuina soboles religionis. Sed oratio quidem, in Stylitis prope perpetua fuit. Quid enim aliud homines toto diuisos orbe distinuisset, præter iugem cum Deo familiaritatem, & nunquam intercisam cum

Numine

Numine & beatis ſpiritibus conſuetudinem? erat illis oratio, lectiſſimus animorũ cibus, quo auidè ſatiabantur. Simeonis certè orationes, adiuncta adoratione externa & genuflexione, omnem ſubductionem diligenter notantium tranſcenderunt. Audi Theodoretum. [Proponitur omnibus ſpectaculum nouum & admirabile; nunc quidem ſtans longo tempore, nunc autem frequenter ſe incuruans, & Deo offerens adorationem. Iam vero multi quoque ex adſtantibus enumerant has adorationes; ſemel autem quidam ex iis qui mecum erant, cùm enumeraſſet mille ducentas, & quadraginta quatuor, deinde lapſus eſſet, deſtitit numerare; ſemper autem ſe inclinãs, propè digitos frõtem admouet.] Idem inferiùs. [In feſtis autem publicis, aliam quoque oſtendit tolerantiam. Nam poſt occaſum ſolis, donec is rurſus venerit ad Horizontem Occidentalem, manibus in cælum extenſis, ſtat tota nocte, nec à ſomno delinitus, nec à labore ſuperatus.]

27. Flagrantiſſimum aſſerendæ religionis ſtudium in omnibus Stylitis, cùm res tulit emicuit, ſed in Simeone illuſtriſſimè, cùm Theodoſio iuniori religionem tantiſper deterere viſo, intrepidus obſtitit. Iuſſerat Imperator Iudæis Antiochenis vſum Synagogarum iiſdem à Chriſtianis ablatarum reſtitui. Simeon Diuini cultus imminutionem inde obuenturam præſagiens, fortibus ac vehementibus literis religionis vindicibus, euicit decreti reſciſſionem.

Illud verò tametſi ex ſimplicitate profectum, ac, ſi ad rigorem Theologicum exigatur, minùs probandum, quantam in eo Diuini cultus & honoris ſollicitudinem prodidit. Certum eſt, Deum, vt iuramento ritè concepto apprimè honoratur, (idcirco enim laudabuntur omnes, iuxta Pſaltem, qui iurant in eo;) ita indebita iuramenti vſurpatione dehoneſtari, & quod ex ſe ad Dei honorem facere poterat, in eius probrum ac dedecus commutari: in quo æquore S. Chryſoſtomus [a] paſſis eloquentiæ velis exſpatiatur. Itaque Simeon ad exterminandam vigentem tunc abuſionem, Numinis ad omne verbum appellandi, auctor erat omnibus, vt per ſe peccatorem iurarent, dimiſſa irreligioſa diuini nominis inuocatione. Hoc ille (vt dixi), ſimpliciter fecit, nec ſatis directè ad Theologicam amuſſim, quæ iuramentum per creaturas, niſi in Deum ipſum reuoluatur, nequaquam approbat. Vel ex hoc tamen liquidò patet, quanto ille ſtudio nullatenus violatæ religionis teneretur.

[a] *hom. ad pop.*

28. Contermina eſt religioni in Numinis cultum intentæ obedientia, qua Dei nutus in ſuperioribus agnoſcitur. Eius à Stylitis illuſtria ſpecimina habemus, ſed à Simeone præſertim, qui vt in hoc vitæ inſtituto princeps, ita cæteris ad omnem virtutis exercitationem in exemplar propoſitus videri poteſt. Recitat Euagrius, [b] quod ab aliis præteritum, meritò ipſe literis conſignandum ſtatuit. Patres eremi,

[b] *lib. 1. cap. 13.*

cumprimùm de insolita vitæ ratione à Simeone inita est inauditum, demirati hominis consilium, & num ex Deo esset ancipites; nullo licèt in eum iure & auctoritate potientes, miserunt qui exscendere iuberent, & viis tritis insistere. Et renitentem quidem, vi illata extrudi voluerunt; obtemperantem verò & auscultare maioribus paratum, sibi permitti iussserunt, eam obedientiam, ad alienum se nutum fingentem, indubium diuinæ vocationis argumentum interpretati. Ille ad primam vocem nihil causatus, pedem mouit ad descendendum: & perfecisset deserens amatam stationem, nisi Patrum nuntij, agnita parendi facilitate ac promptitudine, vt in mandatis habebant, prohibitum progressione, iussissent porrò pergere, & columnæ pacificè insistere.

29. Quid de eius humilitate dicam, tuto (vt S. Basilius [a] dixit,) virtutum omnium thesaurophylacio? [In tantis laboribus (inquit Theodoretus) tantáque rerum gestarum magnitudine, & miraculorum multitudine, est tanta morum modestia, ac moderatione præditus, ac si esset dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem, & facilis ad eum patet aditus, & est affabilis & suauis: Et respondet vnicuique eorum qui loquuntur, siue sit opifex, siue mendicus, siue rusticus.] Meritò Simeonis humilitatem ex miraculis extollit Theodoretus. Siquidem miracula fecit, qualia ante ipsum nemo, Antonio [b] vitæ scriptore

[a] cap. 16. constit.

[b] cap. 4. vitæ.

ſcriptore teſte, & tamen perſtitit demiſſus, in ſe comprobans illud Iobi à S. Gregorio [a] de humilibus expoſitum, *Mittes fulgura, & ibunt; & reuertentia dicent tibi, adſumus.* Nimirum agnoſcentes bona omnia Deum habere auctorem; & ideò honorem, ſi quis ex illis debet exiſtere, in Deum refundi oportere. Fecit hoc humillimus Simeon; & ideò in quantiſuis per eum editis diuino munere operibus, non eſt inflatus; vt neque cùm ſupplices Theodoſij litteras accepit, & cùm à Martiano clam eſt aditus, omníque officij & venerationis genere honeſtatus. Quare ſapienter Gregorius [b] Tauromeniæ Epiſcopus, magni Simeonis egregias dotes, & apud omnes claritudinem attingens, concludit. [Tametſi in omnium notitia & admiratione verſemur, deprimamus nos humilitatis in ſpecum: imitemur admirabilem illum virum, vanam illam ac leuem gloriolam vitemus. Nam, *qui ſe humiliat, exaltabitur*, vt diuinæ litteræ teſtantur. Nunquam ad illud columnæ faſtigium pugil noſter euolaſſet, niſi ſe priùs aridam ac graueolentem in ciſternam demiſiſſet. Ita neque nos vnquam niſi humilitate ſuſcepta, virtutis arduum culmen attingemus. Quòd ſi in ea deiectione latere minimè poſſimus: (habet enim hoc virtus, vt quo diligentiùs occultari ſtudet, eo magis innoteſcat;) ac nos ex profundo illo ſpecu homines eduxerint, hoc eſt noſtræ virtutis admiratores prædicare nos cœperint, tum demum la-

[a] 30. mor. cap. 3.

[b] homil. de indict.

 boriosum

boriosum vitæ institutum arripiendum est, in quo ad virtutum columnam quibusdam accessionibus euehamur.] Apodosis est tropologica gestorum Simeonis, quæ anteriùs perstrinxerat, meritò tanti viri exemplo adhortans; imprimis ad iaciẽdum altissimum demissionis Christianæ fundamentum, tum ad omnium virtutum structuram illi inædificandam eiusdem Simeonis imitatione. Id quod idem Gregorius expressum censet, senario & tricenario cubitorum, quibus constabat postrema eius columna. Eo quippe numero, [circulum, ac trigonum & tetragonum effici monet qui perfectam tanti viri virtutem exprimeret, cúmque doceret, & in sanctissimæ cultu Trinitatis esse constantem, & virtutum omnium velut corona vndiquaque septum.] Hæc de humilitate fundamentaria, cæterísque virtutibus eidem in Simeone superstructis perstricta, habuere proportione locum in omnibus sanctis Stylitis, quos flagrans religionis, obedientiæ, humilitatis, omniúmque virtutum studium, viros virtutum omnium demonstrauit.

30. Ac ne virtus ipsorum, destituta probatione marceret, fuêre communi sorte cum natione filiorum Dei. Omnes quippe habuerunt æmulos & obtrectatores, plenósque malignitatis & nequitiæ calumniatores. S. Simeon primùm per calumniam è suo Monasterio expulsus est. Iam conscensa columna derisus est, & temeritatis nimiæ insimulatus: ab aliis *Philodoxus*

Iodoxus audiuit, perinde ac ſi ad eam nouam & inſolitam vitæ rationem præ ſtudio gloriæ, & nominis ſui ac celebritatis aggreſſus eſſet. Daniel Stylita, à Gennadio Epiſcopo, & ab aliis, haud exigua eſt paſſus. Idem ab homine Gottho, mollitudinis eſt accuſatus, & per ſannam denominatus *Conſul nouus*. Verè lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum. A lupa per filios Belial ſubornata, paſſus eſt calumniam turpitudinis, & cædis ad celandam iniquitatem attentatæ. Eadem ferè ſors aliorum ſanctorum Stylitarum. Nimirum omnes hîc ſancti, (vt Diuus Auguſtinus [a] piè ſimul & acutè proſequitur,) ſunt tubæ ductiles; Diabolus per ſe ac ſuos emiſſarios, eſt malleus contundens, & in tribulatione dilatans. Et iuxta Iſidorum Peluſiotam, [b] atque Antiochum, ſicut lanæ ad excipiendam purpuræ tincturam, rigide priùs aſtringuntur, & compreſſæ tunduntur; ita quotquot Dei purpura fiunt, non priùs diuino illo colore imbuuntur, quàm aſtringantur validè, & affligantur ab impiis, quos ſibi Satan, cooperarios nequitiæ, & odij in Dei ſeruos aſciſcit.

[a] *in pſal. 97. v. 6.*

[b] *lib. 1. ep. 346. hom. 113.*

31. Inſcribamus pro antiquo vſu de quo Suidas [c]. Stationariorum noſtrorum columnis, breuiculum decorum quibus colluxerunt. Vt enim in columna execrata, incidebantur dedecora & probra hominum improborum, ita in columnis memoriæ proborum conſtitutis, tro-

[c] *v. ςύλ@.*

phæorum in morem, illuſtres eorum tituli & decora inſcribebantur. Eſto igitur hoc de carne domita, & exciſa corporis cura in deſideriis, elongatione item à terra & luto, ſanctorum Stylitarum columnis inſcriptum ſolemne programma. Homines Angeli [a], Martyres aërij [b]; in vtriuſque naturæ locati confinio [c]; Diuini, tranſgreſſi vitæ genere humanæ naturæ conditionem [d], cælitum vitam in terra æmulantes; [e] Magna orbis terrarum miracula [f], vt ſurſum corda haberent, habuerunt & corpora. Vt illimes ac puri cælo quamprimùm inferrentur, à paludoſa terræ vligine ſeceſſerunt. Fulſêre ſupra terram vt ſtellæ, quod micans è Simeonis ſepulchro ſtella prætulit. Parum eſt; fulſêre vt ſoles, iuxta illud in Triodio decantatum, *Sol in terra lumine inſtructus.*

32. Pudeat delicatos Chriſtianos, & quod propudioſius eſt, molliculos Religioſos, carnem ſuam mox in tabum & vermes ſoluendam, adeò fouere, & tractare tam benignè & blandè; vbi homines ex eadem maſſa & carne concreti, tam generosè ſe gerunt, crucifigentes inſolito planè modo cárnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis. Fruſtrà querimur, quòd caro ſit infirma. Detexit egregiè illius excuſationis vanitatem Origenes [g]. Sed quid teſtimonia, & ſuffragia Doctorum conquirimus, vbi teſtimonium quod maius eſt, factis horum ſanctorum ſolidè expreſſum, nullique exceptioni patens, habemus? Nec hi verè maſculi, verè homines

[a] *Niceph. lib.* 14. *cap.* 51.
[b] *Euagr. lib.* 1. *cap.* 13.
[c] *Acta Danielis Stylitæ.*
[d] *Gregor. Taurom. hom. de Indict.*
[e] *Eulog. apud Phot. cod.* 230.
[f] *Theod. cap.* 26. θεοφ.
[g] *hom.* 9. *in Leuit.*

homines & in carnem suam ac omnes eius illecebras adeò fortes, ad tantam vitæ & nouorum institutorum austeritatem, adacti sunt ob grauia peccata, quibus se commaculassent. Nam, vt cæteros taceam, quorum nulla grauiora peccata ad tantas imbonitates suscipiendas vrgentia produntur; qualia de Bernardo quodam pœnitente Belga, de S. Gulielmo Aquitano, & aliis referuntur; qui anteriora peccata & multa & immania, nouis ac insolitis vltrò susceptarum perpessionum generibus eluerũt: vt cæteros, inquam, nunc dissimulem, Simeon Stylitarum primicerius, quid grande peccarat, vt ei ærumnarum voluntariarum moli humeros supponeret? Fuerat is in sæculo innocentissimus: quo Gregorius Tauromìnitanus [a] refert delectum ab eo munus pascendi oues, potiùs quàm regendi mulos, petulcum & lasciuum animal; aut potiùs quàm pascendi cœnosos sues; vel agendi equos, vitæ voluptariæ ac effrænatioris symbola. Nil igitur atrox aut insolitum peccarant Stylitæ sancti, & tamen omni se imbonitate diuexarũt. Quid tale præstant, post innumera & grandia peccata molles Christiani, nauseantes ad minutas quasque asperitates, & imbecillitatem impotentiæ prætextu obductam causantes; si vel duriusculum quippiam ex præscripto Dei vel Ecclesiæ, sit obeundum; vel exigua quæpiam molestia sit deuoranda? Respiciant qui huiusmodi sunt, hos verè homines in colum-

[a] *hom de indict.*

tia proſtantes, & dicant, *peccauimus*. Agnoſcant hos eſſe teſtes quos Deus contra illos inſtaurat, vt S. Gregorius [a] inſigniter commentatur.

[a] 9. *Mor. cap.* 33.

PVNCTVM II.

Stylitarum vitæ ratio, expreſſa in ſancto Brunone ac ſociis; initio ducto ab inſiſtentia columnæ admodùm è terra ſurrectæ.

1. OMnes quidem Religioſi, aliquatenus ſunt Stylitæ: ſuſtolluntur enim ſuper altitudines terræ, ac veluti rotæ, (vt S. Hieronymus philoſophatur ad illud Pſaltis [b], *vox tonitrui tui in rota*) quàm minima ſui parte poſſunt, terram contingentes, aſpirant ſurſum; Verè paſſeres ſolitarij, non humi, ſed in tectis nidificantes; aut in lignis campi ſaturatis, & in cedris Libani, vt ſcitè diſſerit Rupertus [c] monſtrans diuites & ſublimes in ſæculo veluti ligna cāpi, & cedros Libani rigatas & ſaturatas de ſuperioribus Dei, fieri peropportunos ad nidificationem ſublimem paſſerum Chriſti; quo nomine deſignatos à Pſalte cenſet Religioſos à terra extantes, & plurimam Deo fœturam procreantes, in ſublimibus ſuis. Quod aliter dixit S. Cæſarius, ſæculares diuites hoc eſſe pauperibus Chriſti à ſæculo ſubductis, quod vlmi

[b] *pſ.* 76.

[c] *in vita S. Heriberti cap.* 12.

mi vitibus quas sursum subuehunt. Sit igitur hoc decus commune Religiosis omnibus eo nomine dignis, nec vacuam præferentibus *Religiosorum* appellationem.

2. Nihilominus absque cæterorum iniuria facturus videor, si S. Brunonem, ac socios, & posteros, speciali prærogatiua, Stylitarum sibi appellationem & ornamenta vendicare contendam. Exequar id primùm vniuersè hoc loco, expendens analogiã columnæ, cui Stylitæ Orientales insistebãt, & subuectionis nostrorum Occidentalium Stylitarum, per secessionem à terrenis, & sublimitatẽ omnibus caducis eminentem, ac insistentiam in Deo altissimo & excelsissimo. Qua in parte, quod deerit literæ, non incommodè supplebit anagogè, his verò vniuersim perstrictis, sigillatim præcipua quæque Stylitarum Orientalium decora, in S. Brunone eiúsque institutis recognoscam. Est enim similitudo non modica, potestque eò nõ dificilè extendi illustris locus ex fronte libri ad Cartusianos de monte Dei, quos Gulielmus Abbas libri auctor proximè exortos gratulatur orientale lumen tenebris occiduis intulisse; vitæ scilicet solitariæ exemplar, & cælestis formam conuersationis: quæ duo in Cartusianis ab eo auctore prædicata, in Stylitis fuisse insignia nemo diffiteatur, quandoquidem spectato quoque vocis cortice, *Stylitæ*, & maximè omnium solitarij, & cælo præter cæteros mortales propinqui fuisse videri possunt. Idipsum ergo ce-

lebrat in Cartuſianis Gulielmus Abbas, excitans ſpiritum ſuum ad gaudium in Deo, [quia Chriſtianæ religionis ac deuotionis ſpecioſiſſima portio, quæ cælos propinquiùs tangere videbatur, ſubitò inuenta erat in monte Dei, in monte pingui, in campis ſyluæ.]

3. Columnarios itaque S. Brunonem ac ſocios primos extimo verborum cortice ſpectato, dicere poſſe haud iniuriâ videmur: Locus enim in quo ſedem primò fixerunt, columnæ ſpeciem exquiſitè refert. Qui inſpexêre, recolant mecum; qui non conſpexêre, intelligant ex his paucis quæ ſubiicio, opus diuinum, & admirabilem loci ſancti ad hos Stylitas excipiendos aptationem. Cartuſiæ vallis altiſſimis vndecumque cincta cautibus, veluti ſaxeo naturali muro communita, accliuis eſt & pedetentim aſſurgit. Ad Boream, qua parte eſt vallis cautibus ſubiectæ faſtigium, rupes cautibus cingentibus inferior, ſupra reliquam vallem attollitur præcelſæ columnæ ſpecie. Siquidem rupes vndecumque exciſa extat, cubitis circiter quadraginta. Superiora eius, ad quindecim circiter latitudinis paſſus porrecta, per ſaxi vtrimque fiſſuras, gemino adeuntur itinere, moroſiore, quàm ſcalarum. Quamquam planities vltra rupis ſuperiora procurrit, herbido ſolo, ſed frigoribus immaniter aſpero, & ob loci auij, cautibus editiſſimis vndecunque cincti, poſitionem, inhoſpitalem Caucaſum facie externa referentem, iniiciente ſpectantibus horro

horrorem. Ibi tamen S. Bruno, ac socij, sub variis cauitatibus sedem fixêre. S. Bruno spelæum non manufactum quod rupes, de qua dixi, subministrabat, sedem sibi delegit: iuxtaque eam, è rupe, scatebræ fontis perennis sancti viri precibus eruperunt, (vt graues auctores prodiderunt;) ea vi laticum sanè admirabili; vt quantuncumque hauriantur, semper sint innoxij; præter varias supra naturam curationes, de quibus V. P. De Moulins in M. S. Historia mox proditura, diligentiùs, *Fons S. Brunonis* appellatur; quæ denominatio reuocat mihi in memoriam, herbam feliciùs ibi ac suprà omne eremi solum feraciùs sobolescentem, cui item à S. Brunone nomen, *Eptafolium* est, quorum vnum cæteris omnibus eminet: quatuor, secundæ sunt magnitudinis; postrema duo, cæteris omnibus minora. Diceres, Deo, vt sæpe aliàs, iuxta S. Gregorium, rebus loquente, expressum in ea herba S. Brunonem cum primis sex sociis: quorum quatuor è clero S. Brunoni suppares, duo postremi laïci. Ac ne externa Cartusianorum species desideraretur, herba exteriùs candet, & amaranthina ac semper viua amœnitate renidet. Optimè id quoque, vt Cartusiani instituti sanctimoniam, non manè florentem, vesperi decidentem, indurantem, & arescentẽ; sed amaranthum constanti nitore nunquam marcente aut tabescente vigentem, liceat agnoscere. Sic sedula pietas, in naturæ lusibus, ipsisque herbulis,

bulis, inuenit vnde ſuauiter paſcatur. Sed ſiſtamus in columna, quam S. Brunonis & primorum ſociorum habitatione, & initiali Ordinis inſtitutione, claram dixi. Supereſt etiamnum ibi ſacellum, quod ſeruis Dei vſui fuit. Iacobus de Merly, Illuſtriſſimus Tolonenſium Antiſtes, ad Ordinis Cartuſienſis initia grata recordatione recolenda, antiquum huiuſmodi ſacellũ, auguſtiore æde ſacra circumplexus eſt nuperrimè; æmulatus Lauretanæ Baſilicæ maieſtatem, humili domunculæ quã Virgo incoluerat, circumfuſam. En itaque vnde Stylitas Occidentales, ac Columnarios, dicere liceat S.Brunonem ac ſocios primos, ſpectato verbi cortice, æquè ac Stylitas Orientales; eo duntaxat diſcrimine, quod Colũnæ Stylitarum Orientalium, artefactæ erant, & opera manuum hominum. At columnam cui Occidentales Stylitæ inſtiterunt, Deus ipſe conſtruxit. Hic itaque eſto modus vnus haud inidonens, denominandi Stylitam S. Brunonem. Præter eum verò, veluti literalem ſenſum propoſitæ denominationis, habemus vnde prætereà eam aſtruamus, appoſitiſſimè ad S. Brunonis inſtituta, & vitæ rationem.

4. Columnam igitur à terra ſublimem, dicere haud iniuria poſſumus ſeceſſionem à terra & mortalium frequentia; quæ eiuſmodi fuit in S. Brunone ac ſociis; vt cùm ſtellæ ſint quid cæleſte & à terris ſemotum, eóque nomine S. Simeon Stylita poſt tot labores in columna exantlatos,

antlatos, stellæ specie sit diuinitus expressus, vt Euagrius [a] auctor est eadem specie ac imagine exhibitus de cælo sit cum sociis sanctus Bruno, iam à primis secessionis suæ initiis. Quod enim Guido in S. Hugonis Gratianopolitani rebus gestis, & ipsius Brunonis Actorum scriptores prodiderunt; aduentantes ex pij viri monito Gratianopolim Brunonem ac socios, S. Hugo eorum aduentum per visum edoctus, specie septem stellarum conspicuos habuit: Et spectare ad eos obiectam speciem non dubitauit, cùm primùm in vigilia vsurpauit oculis. Eratque stellarum imago sancto Antistiti obiecta, ad negotium quod agebatur peropportuna. Nam vt illud plerisque sanctorum commune non vrgeam, quòd stellæ verè dicantur; quia in sæculi huius nocte fulgent vt stellæ, quod S. Gregorius copiosè æquè ac piè est prosecutus; vt hæc, inquam, quia aliis passim sanctis communia prætercam, secessio à frequentia mortalium, ac in solitudine permansio, quæ eximium S. Brunonis ac sociorum decus fuit, bellè exprimitur stellarum specie. Nam quantum absunt à terra stellæ, tantùm S. Brunonis & sociorum affectus supra caduca quæcunque efferebatur. Et potest eodem accõmodari Stylitarum cum cælis comparatio, in Triodio adhibita: exaltatio enim cælorum à terra, in ipsismet Scripturis adagio vsurpatur, ad res disiunctissimas, quarum vna alteri immenso propè spatio supereemineat, exprimen

[a] lib. 1. cap. 14.

primendas. At licèt iuſti quique cum cælis meritò componi poſſint, penes varia capita, vt factum eſt à S. Gregorio [a]. & à S. Brunone libro de nonis [b], paſſimque ab aliis, tamen eos præſertim, qui peculiari ſtudio contemplatiuæ tanquam cæleſtis in terra vitæ tenentur, cælos ſublimitate, puritate, luce, benignis influxibus inferiora fouentibus referre, notius eſt eſt quàm vt doceri oporteat; caditque proinde in S. Brunonem ac ſocios ea comparatio.

[a] *lib.15. mor. c.15.*
[b] *cap. 2.*

5. Hanc itaque ſemotionem à terra, & ſubnectionem cælum verſus, quam columnæ analogicam ſtatuebam, S. Bruno & corpore & ſpiritu habuit planè ſingularem, iam ab exordio ſui à ſæculo receſſus & conuerſionis ad Deum. Nam corpore quidem, deſertam & inuiam ſedem in editiſſimis montibus adamauit, montes ſupra montes collocans; an ſit non iam Gigantæo Pelion Oſſæ imponere tentante, inuito numine, ſed ſuperis planè accepto, quo montes virtutum atque meritorum, ſupra terrenorum eminentiam ſublimes collocabantur, quales montes planæ Lerino gratulabatur Ennodius, altricem dicens magnorum montium (Honorati, Capralij, Fauſti, Maximi, Antonij, Porcarij, Aigulphi, ac conſimilium) planam Lerinam. Quo ipſo loquendi modo, S. Auguſtinus [c] *montes ſuaueolentia Dei* nuncupauit. Vbi corruptè codices aliqui legunt *mores*, per errorem amanuenſis, è libri titulo (vt videtur) profectum. Quod enim

[c] *lib. de mor. Eccleſiæ.*

enim libri titulus sit *de moribus Ecclesiæ*, librarius, leuicula deflectione legit *mores* vbi *montes* legendum fuerat. Sed cùm omnes Dei serui, & Religiosi præsertim ob subuectionem à terra, *montium* nomine passim insigniantur; precipuo tamen iure qui contemplationi rerum diuinarum impensiùs sunt addicti (quod studiosissimè fecisse constat S.Brunonem ac socios,) mõtes excelsi dicuntur, iudice Petro Damiani [a]. Itaque editissima S. Brunonis ac sociorum statio corporea, & à terris secessio est explorata.

[a] *lib.* 1. *epist.* 15.

6. Spiritu autem & voluntate, iidem quàm longissimè supra terram extiterunt, nihil commercij habentes cum fæculentiis sæculi, vt illimes ac nitentes animi, per secretionem à sordibus inferiorum, exquisitè puri coram Deo prestarentur, nec deprimerentur per diuulsionẽ in multa, quæ est inquinationum prima origo mortalibus, vt disserit Petrus Damiani; sed in vno primario quod Deus est, & sublimis columnæ imagine iam olim est exhibitus, vt Infrà referam, sedem sibi erectam & tutam collocantes, supra caduca omnia eminerent.

7. Pars non postrema secessionis illius ab imis & subuectionis sursum, silentio cõtinetur: infert enim vacuitate humanarum necessitudinum ac deiectionum ad inferiora, eóque ipso sustollit ad Deum, ac supra caduca quæque euehit hominem. Vidit hoc egregiè optimus spiritualis vitæ magister, & ascetici iuris eximiè consultus, Ioannes Climacus [b], enumeratis

[b] *Gradu* XI.

ratis enim loquacitatis incommodis, ſubdit. [Contrà verò taciturnitas in cogitatione, mater eſt orationis, captiuitatis reuocatio, ignis diuini amoris obſeruatio, cogitationum diligens inſpectio, ſpecula hoſtium, carcer luctus, lacrymarum amica, memoriæ mortis operatrix, ſuppliciorum pictor, iudicij indagatrix, ſagax mœroris ſubminiſtratrix, inimica fiduciæ, quietis coniux, ambitioſæ doctrinæ aduerſatrix, ſcientiæ adiectio, ſpeculationis opifex, ſecretus in Deum profectus, occultus aſcenſus.] En prouectionem & aſcenſum per ſilentium. Idem confirmat Petrus Damiani [a], & eruit ex Hieremia [b], leniens enim dolorem Agnetis ex Imperatrice ſanctimonialis, cui durum videbatur fraudari congreſſione & affatibus piorum, aſtringi autem ad arctum ſilentium, ſic ad eam ſcribit. [Neceſſe eſt, vt purus homo ab hominum ſe frequentia ſubtrahat, quatenus ſuperni muneris capax fiat; ſicque mens humana dum vacat ab aſpectibus hominum, ſancti Spiritus mereatur ingreſſum. Eorum ergo qui tecum conuerſabantur, abſentiam, noli deputare iacturam; imò ſalutis occaſio, perfectionis lucrum, & propenſio noſtri meriti deputetur argumentum, quia dum ſtrepitus humani ceſſat alloquij, conſtruitur in te per ſilentium, templum Spiritus ſancti, hinc eſt quod de Iſraëlitici templi conſtructione ſacra teſtatur hiſtoria, quia *malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo Domini, cùm ædificaretur.*

[a] *lib. 7. epiſt. 6.*
[b] *cap. 3. Thren.*

ficaretur. Templum quippè Dei, per ſilentium creſcit; quia cùm mens humana per exteriora ſe nõ fundit verba, in ſublime faſtigium ſpiritualis ædificij ſtructa conſurgit; tantoque ſubcreſcens in altiora ſuſtollitur, quanto per ſilentij cuſtodiam circumcluſa, ſe ſe extrinſecùs fundere prohibetur, cuſtos enim iuſtitiæ ſilentium, & per Ieremiam dicitur; *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini, Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua; ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia eleuabit ſe ſupra ſe*. Solitarius planè, dum tacet, ſe eleuat ſuper ſe, quia mens humana dum intra ſilentij clauſtra vndique circumcluditur, in ſuperiora ſublimis erigitur; ad Deum per cæleſte deſiderium rapitur, & in amore eius per ardorem ſpiritus inflammatur, & tanquam fons viuus dum per verborum circulos fluere hinc inde non ſinitur, vndis excreſcentibus in altiora cumulatur. Alibi quoque ſolitudinem celebrans ex ſubuectione quam confert, eundem Threnorum [a]. locum allegat, & hominem ſilendo leuare ſe ſupra ſe, perpulchrè tradit. Parum verò ad rem præſentem refert, quod genuina lectio, habeat; *leuauit ſuper ſe*, vt monſtrat Delrio [b] adducens L XX. Nobis enim ſatis ſuperque eſt, quod de grauium Patrum ac Interpretum ſententia, qui legerunt, *leuauit ſe ſuper ſe* (ita enim Bernardus, Rupertus, Hugo, Rabanus, Lyranus) qui ſilentium tenet, leuet ac ſuſtollat ſe ſuper ſe, vt legit

[a] *Opuſc. X I.*

[b] *ad c 3. Thre.*

legit Petrus Damiani loco annotato, & valida ratiocinatione firmauit. Sustollit itaque silẽtium,& hominem locat sublimem in columna editissima, quæ Deus est, subducens ab imis. At silentij quàm studiosus ac tenax fuerit S. Bruno; eiusque hoc studium quàm sit posterorum pectoribus infixum, nemo non nouit, qui S. Brunonem ac Cartusiam norit, vbi enim arctiùs, diuturniùs, sollicitiùs custoditur lex de silendo, vel à bonis? Benè Religiosam familiam cum piscina, religiosos cum piscibus componebat Petrus Damiani [a], & S. Antonius, vt est in eius vita [b], cùm penes alia quædam capita, tum ex eo nominatim quòd probati Religiosi, non secus ac pisces muti, silentium in tempore teneant, quàm exquisitè. Est verò hæc laus, religionis Cartusianæ præcipua, à parente Brunone & primis eius sodalibus ducto initio.

[a] *Opusc. 52.c.2.*
[b] *cap.52.*

8. Mystica alia columnæ subitio, & quædam in altum conscensio, notari potest in regio super omnia inferiora dominatu, qui solitudini comitatur, & populum atque tumultum cogitationum, miserè animum si inualescant sternentium, deorsum retinet. Quò pertinet assertio S. Chrysostomi [c], Reges esse sublimi throno insidentes, qui affectus suos comprimunt, & rationi subiiciunt. Sed egregiè in eo argumento versatur S. Gregorius [d], tractans illud Iobi; *Nunc dormiens silerem, & somno meo requiescerem, cum Regibus & Consulibus terræ,*

[c] *hom. 3. in 2. cor. in Mor.*
[d] *4. mor. cap. 13. & 34.*

terræ, qui ædificant sibi solitudines. Commentatur ibi S. Gregorius, expostulare Iobum de amissa per primi parentis lapsum, regia hominis in seipsum & externa quæque potestate; qua homo si potiretur, valeret pro potestate, intra mentis secretum ad Conditoris contemplationem secedere, vt faciunt Angeli, & omnes cælestes spiritus, verè Reges & Consules terræ; Cùm nunc è contrario misera mens turbis & populis frequentationum calcata, & insolenti cogitationum tumultu vastata, fœdè substernatur multiplici tyrannidi, absque quiete & veluti somno animi. Qui enim locus esse quieti ac mystico somno possit, vbi homo tanta frequentia turbarum premitur, quanta curarum importunitate laceratur? Fusè admodùm & piè excurrit in eo campo S. Gregorius. [At contrà sancti viri, qui nihil huius mundi appetunt, nullis procul dubio in corde tumultibus premuntur; Omnes quippe inordinatos desideriorum motus, à cubili cordis; manu sanctæ considerationis eiiciunt; & quia transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur; solam namque æternam patriam appetunt; & quia nulla huius mundi diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur. Vndè rectè dicitur, *qui ædificant sibi solitudines.* Solitudines quippè ædificare, est à secreto cordis, terrenorum desideriorum tumultus expellere, & vna intentione æternæ patriæ in amorem intimæ

quietis anhelare. Annon cunctos à se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat, *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* A frequentia quppè terrenorum desideriorum fugerat, & ad magnam videlicet solitudinem semetipsum contulerat: à tumultu rerum corporalium, magnum quendam secessum petierat, quietam mentem, in qua tanto puriùs Deum cerneret, quanto hunc cum se solo solum inueniret.] Non sunt quærendi colores alij, quibus excelsus S. Brunonis & sodalium animus, verè regius, è sublimitatis suæ quasi throno & columna nubis dominans, exhibeatur. Quæ enim manifestior Angelicę vitę æmulatio, atque adeò imperij in suas cogitationes & affectus, ac consequenter in externa & inferiora omnia, luculentior proferri possit expressio, quàm quæ à S. Gregorio vniuersim proposita, in S. Brunone & sociis micuit splendidissimè? Auulsi enim planè fuerunt à quibusuis sæculi desiderabilibus, eáque tanquam infra ipsos posita, regia celsitudine erecti despexerunt.

9. Manifestior erit ex hoc capite subuectio S. Brunonis, & columnæ cui insistit celsitudo, si attendamus quis esset S. Bruno ante secessionem à sæculo. Nempe non vnus quispiam ex fæce mortalium, sed homo stirpe nobilis, de Illustri familia *Hardefaust*, Latinè *à duro pugno* denominatam, quæ de Coloniæ Romanæ primo plantario fuit, Sigeberto testę in Chro-

PVNCT.2. *Columna Stylit.aptata S.Brunoni.*

nico ad annum 1084. Nauclero [a] ac Christiano Massæo & aliis passim. Erat itaque S.Bruno, stirpe nobilissima oriundus; erat item nobilissimæ Ecclesiæ, non Carnotensis, vt vnus quispiam per hallucinationem scripsit, sed Remensis Canonicus, sacræ doctrinæ Interpres celeberrimus, & Vrbani II. Romani Pontificis aliquando magister. Is verò fuit erga magistrum vrbanus, vt nihil ei posset acceptius contingere, quàm gratum se discipulum profiteri; euehendo ad dignitatum eminentissimarum apices, hominem sublimibus quibusuis sedibus dignissimum, & ad illustria omnia munera peridoneum; cuiusmodi reuera Bruno erat. Quæ enim partes ad quemuis Ecclesiasticum verticem accommodatæ, non in eo micuerunt? Præco iam tunc Christi erat, toto celeberrimus orbe, vt habet eius apud Calabros Epitaphium. Sed & Ecclesia Remensis quam Canonicus ornarat, his præter cætera demortuum celebrauit.

[a] *Gener. 137. l.6. Chronici.*

Qui cùm multimodè nostra polleret in vrbe,
Solaménque suis atque decus fieret.
Cúmque faueret ei fortuna per omnia, iámque
Hunc præferremus omnibus, & meritò.
Namque benignus erat, omníque peritus in arte,
Facundúsque satis, diuitiísque potens.

Et mox.

Vt seruire Joseph, dominæ contempsit amori;
Et fugit amplexus incestos mente virili;

Sic contempta iacet tibi, Bruno gloria mundi,
Amplecti dum te cuperet, tibi brachia tendens,
Multas mundus opes, multos obtendit honores;
Túque fuga lapsus pompali veste reiecta,
Amplectens eremum vestiris sorte beata.

10. En atridebat per omnia Brunoni fortuna. Genus, censum, dignitates, famam nominis celeberrimam nactus erat, & ostentabantur haud dubia spe, multo auctiora & grandiora. Hæc omnia calcare, & veluti subtus iacentia despuere, quàm regij & sublimis fuit animi, quem aptè insistentia præcelsæ columnæ repræsentet?

11. Aiebam tertio loco, Stylitam mysticum censeri posse S. Brunonem, tanquam hominem non labanti cuipiam fulcro (cuiusmodi sunt omnes humanæ celsitudines) sed Deo insistentem, cuius expressissima imago est columna de sententia, Clementis Alexandrini [a] qui agens de Columna lucida Hebræis itinerum duce, sic philosophatur, [Significat columna, Dei non posse effingi imaginem; illuminata autem columna, præter hoc quod significat non posse effingi imaginem, Dei quoque stabilitatem significat, ac firmitatem & immutabilem eius lucem, quæque non potest figurari. Priùs itaque quàm accuratè perfectéque tenerentur imaginum habitus, veteres columnas erigentes, eas colebant tanquam statuas.

[a] *lib. 1. strom.*

ftatuas. Atque idcirco fic fcribit qui fecit Phoronidem.

Callithoë clauem Reginæ geſtat Olympi
Argiuæ Iunonis ſertis atque corollis
Reginæ primùm eſt à qua exornata columna.

Quin etiam qui fecit Europiam, fignificat eam quæ eft in Delphis Apollinis imaginem, effe columnam, per hos verfus.

Vt decimámque Deo, primos fructúſque dicemus,
Sedibus ex ſacro ſanctis, celſáque columna.

12. Cedo homines erectioris in Deum animi, & ei foli magis fubnixos, quàm S. Brunonem ac focios. Secefferunt illi fanè ab omnibus humanis, & nulli creatæ bafi innitentes, monftrarunt fe effe fingulariter conftitutos in fpe noftra folida, & nunquam titubante, quæ Deus eft. Idque adiungi fecefsioni Solitarij fedentis in filentio, S. Ambrofius annotauit. Quàm igitur auulfi à caducis omnibus S. Bruno & focij, tam in Deo fingulariter, id eft, præcellenter ac eximiè conftituti. Ac proinde inter Stylitas columnæ myfticæ infiftentes meritò referendi.

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

PVNCTVM III.

Quæ S. Brunoni communis cum Stylitis Orientalibus, causa subeundi columnam; quæ item propria iam olim tradita, nuperrimè tantùm tentata, aut improbata.

1. CAusam secessionis Stylitarum Orientalium à terra, & subitionis in columnã passim scriptores Græci eam proferunt, vt quò altiùs semouebantur à tumultibus inferiorum, & consequentibus illos fæcibus, eò essent ad mortem sanctè obeundam comparatiores; puriùsque obsequium præstarēt Deo, statuti velut in humanæ & Angelicæ naturæ confinio. Sic de S. Simeone Stylita Theodoretus, sic de S. Daniele Metaphrastes, de aliis alij.

2. Hanc secedendi à terra, & mysticam suam columnam subeundi causam, S. Brunoni ac sociis facilè concedunt omnes; passim ei ac-

Psal 54. commodantes illud Dauidicum. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ; Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Sanè metu mortis & consequentis illam diuini

diuini iudicij, facilè quis adducitur vt secedat & maneat in solitudine; veritus inquinationem peccatorum, quibus facilè sordēt, qui humi iacent: videt enim quisquis ita se habet, iniquitatem & contradictionem in ciuitate (vt Dauid mox subiicit), lites inquam, rixas, & iurgia vbiuis in sæculo grassantia; videt iniquitatem die ac nocte super ciuitatis muros circundantem, & laborem (id est, iniquitatis studium: nam, vt iniquè agerent, laborauerunt,) ac iniustitiam in medio eius, & non deficientes de plateis eius vsuram & dolum. Hoc est quod S. Cyprianus, Donato suo ad sublimem speculam subducto, pro incentiuo conuersionis assignabat, subiiciens illi ob oculos tanta & tam densa orbis in maligno positi mala, quæ nemo declinat tutiùs quàm qui secedit. Nec aliter S. Ambrosius, fugiendum ac secedendum docet, si velimus puri & nitentes seruari. Eóque refert, toties indictam, toties commendatam in diuinis litteris fugam. [Hoc est enim fugere, scire quò tendas, ableuare se à sæculo, ableuare se à corpore, &c. mori elementis istius mundi; abscondere vitam in Deo, declinare corruptionem, non attaminare cupiditates, nescire quæ sunt mundi istius, &c. Quis ergo non fugiat malitiæ locum, officinam improbitatis, quæ interire nesciat?] Gemmæ sunt ex opere sancti viri de fuga sæculi [a]. Et eodem modo philosophatur disserens de bono

[a] cap. 7.

PVNCT.3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

[a] *cap.5.* mortis [a]. Et omnibus his locis sapientissimè admonet, potens ad huiusmodi fugam incentiuum esse mortis semper vitæ mortali imminentis,& iudiciorum Dei mortem consequentium timorem, aspirante Deo conceptum. Innumeri Patres,quoties timorem Dei celebrant, quod faciunt frequentissimè, illud præsertim expendunt, quod obiectu diuinorum iudiciorum, salubriter percellat peccatores, & ad perfectam conuersionem stimulet. In quo argumento, iugis est S.Ephrem,& optimè etiam in eo versatur S.Basilius [b]. Eam verò conuersionem esse recessum à luto fæcis, & subuectionem sursum ad Deum, notius est quàm vt doceri oporteat.Exempla Sanctorum qui hanc ob causam à sæculo secesserint, frustrà quærerentur, cùm his scateant sacræ historiæ, & possint cuiuis in promptu esse, ad quæcumque Christiana sæcula mentis aciem direxerit. Nemo, (vt dixi,) causam hanc secedendi ab imis, & velut in columna insistendi, Orientalibus Stylitis communem, negat S. Brunoni ac sociis. Constat enim quam contremuerint ad diuina iudicia: ac proinde quanto studio, puritati conscientiæ, & deuitandis lutosis sæculi viis dederint operam.

[b] *hom de timore Dei.*

3. Sed fuit alia secedendi ab imis,& sursum efferendi sese,iisdem peculiaris & propria causa, ad hos ferè dies tam indubitata, quàm protrita. Quæ scilicet ducta est ex manifestata

diuinitùs clade æterna Doctoris Parisiensis, non Iurisperiti, vt visum Hieronymo Plato [a]. Sed Theologi, vt disertè habet Richelius [b]. & Petrus Sutoris [c]. Hic ergo Doctor Theologus; cùm in speciem piè obiisset, & communitus sacramentis Ecclesiasticis migrasset è viuis, tamen cùm publicè in æde sacra prostante cadauere celebrarentur exequiæ, sustulit è feretro caput, & stupentibus ac horrentibus omnibus, primo accusatum se, tum ritè iudicatum, ac denique damnatum renunciauit.

4. Aderat horrifico spectaculo cum sociis Bruno, & soluto denique quasi stupore linguæ, ac membrorum omnium, quem tam insolitus euentus iniecerat, vitæ huius lubricum, ac salutis æternæ incertum infelicissimi capitis exemplo demonstrans, persuasit sociis eò secedere, vbi quantum humana prospici diligentia posset, æternam salutem qua infelicissimus Doctor exciderat, in tuto collocarent. Hoc fuit verè esse Consulem terræ, ædificantem sibi solitudinem. Benè namque, *Consulem* dictum obseruat S. Gregorius [d], qui sublimioris vitæ exempla præferens, spirituali emicuit Consulatu; qualem in S. Paulo magnificentissimè celebrat S. Chrysostomus [e]. Dati verò sui huius consilij, & adamatæ sibi ac aliis solitudinis, causam mox idem S. Gregorius [f], in tremorem ex diuini iudicij consideratione conceptum

[a] *lib. 2. de bono stat. relig. c. 22.*
[b] *lib. de sui Ord. præconio art. 1.*
[c] *lib 1. de vita Cart. tr. 2. cap. 4.*
[d] *lib. 4. moral. cap. 34.*
[e] *hom. in illud* vocatus Apostolus.
[f] *cap. 35.*

ceptum refert, allegato in eam rem loco illo Hieremiæ [a]. *A facie manus tuæ solus sedebam, quoniam replesti me comminatione.* Aptat hoc ad suum terræ Consulem, S. Gregorius. Et fuit planè comminatione repletus S. Bruno, cùm latissimum discrimen deprehendit humanorum iudiciorum à diuinis, patefacta damnatione Doctoris hypocritæ, per incorruptum iudicem; cuius iudicia, obscura nobis & inscrutabilia videri possunt, iniqua nunquam.

5. Habent hanc narrationem Acta omnia S. Brunonis, in quibus conscribendis varij laborarunt, vt Franc. à Puteo præfectus Generalis Carthusiæ, Petrus Blouemenne eiusdem instituti apud Colonienses Prior, Laurentius Surius, præter alios qui res Cartusianas attigerunt, vt Petrus Sutoris [b]. Petrus Dorlandus [c]. Erardus Vinhlim in sacrario Coloniensi, & Scholiastes Dorlandi, Theodorus Petreius, aliíque non pauci. Est item qui non ita pridem prodiderit, non modò ab auctoribus sexaginta quatuor quos refert, haud prorsus nuperis magna ex parte, sed etiam in tabulario Maioris Cartusiæ, hanc causam inhabitatæ à S. Brunone ac sociis auiæ illius & asperæ solitudinis, referri in charta (vt vocant) fundationis Ordinis, quæ occœpta est ab eo ipso anno quo illuc appulit S. Bruno, nimirum anno 1084. Is quippè (est vt hoc obiter aduertam) annus initialis Cartusiæ, vt habent omnia Carthusiana

[a] *cap. 15.*

[b] *lib. 1. de vita Cartus. tr. 2. c. 2. 3. 4.*

[c] *lib. 1. chron. Cartus. cap. 1.*

tusiana monumenta, & atteſtatur Codex M. S. monaſterij S.Remigij Remenſis de Inſtitutione Ordinis Cartuſienſis:in quo diſertè traditur Guigonem præfectum V. Cartuſiæ, obiiſſe anno 53.à fundatione Cartuſiæ, ſexto decimo Calendas Auguſti,anno Chriſti 1137. qui annorum numerus bellè reſpondet initio Carthuſiæ in anno quem ſignabam 1084. non autem vt Baronius Tomo XII. cenſuit, anno 1086. Sed hoc obiter.

6. Quidquid autem ſit de ea charta quæ in tam congeſtis ſcripturarum ſtruibus nonnullorum poſteà effugit oculos, & meliùs *Codex* vocabitur, ne confundatur cum charta donationis factæ per S. Hugonem Gratianopolitanum,vt aliqui confuderunt:Quicquid inquam ſit de ea perantiqua charta, ſeu Codice,ac ſiue nunc ſuperſit,ſiue perierit;vir omni exceptione maior,Reuerendiſſimus Pater Iuſtus Perrotus, qui magna prudentiæ & integritatis religioſæ laude, totius Cartuſiani Ordinis moderator, nuper obiit ſatur dierum; Narrabat viſam abs ſe in Cartuſia Maiore, cùm inibi Scribam Ordinis & Chartophylacē ageret, Scripturam de fundatione Ordinis ab eius initio contextam,& ſubinde(vt moris eſt) auctam,tanquam Calendarium perantiquum, in quo præter cætera ad Cartuſianum cœtum ſpectantia, conuerſio S. Brunonis ex infelicis Doctoris patefacta damnatione, liquidò & explicatè ſignabatur,

Sed

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

Sed postremum domus illius incendium quod septimum fuit, has anteriorũ incendiorum reliquias cum plerisque aliis antiquitatis monumentis absumpsisse putatur. Superest tamen ibidem etiamnum, peruetustus Codex manu exaratus, è charta pergamena, qui narrationem pro qua satagimus, explicatissimè continet;& à quo tempore ambiguitas circa eam narrationem est excitata, reuincendis plerisque ad nouitates (vt assolet,) inclinantibus magno subsidio fuit. Reueriti enim canam codicis illius vetustatem,dedidicerunt nouitates; & pro venerandissima antiquitate steterunt: Non vidi ipsemet (fides sit penes allegantem) duo insignia in hanc rem testimonia, ab eodem nupero Auctore prolata, ex auctoribus eiusdem sæculi quo S.Brunonis secessio consignatur, & hac ex causa refertur facta. Alterum habetur in Codice Grandimontẽsi,conscripto anno 1115. Alterum in Chronico Thomæ Morimundi,qui tunc florebat,& obiit anno 1150. In his tribus illius æui scriptis, ex fide Auctoris prædicti, (neque enim ipse ea vidi) disertè asseritur, S. Brunonẽ initium dedisse Cartusiano instituto permotum spectaculoq; horrifico damnationis miserrimi Doctoris. Claudius Thifaine Parisiensis,ex Societate IESV, cùm Metense collegium Prouincialis lustraret anno 1639. litteris ad Patres Cartusianos de monte Dei datis 18. Decẽbris,quarum archetypum inspeximus;testatur

statur visum abs se in peruetusto Codice Metensi, quod fuisse Comitum S. Pauli ac Luxemburgi, & ad tempora S. Ludouici Francorum Regis factam eius descriptionem à librario refert, (præter alias pias lucubrationes vernaculo idiomate conscriptas,) librum de quatuor Paradisi fluminibus ad ciuitatem animæ purgandam, & circundandam; cuius libri c. 3. in expositione fluminis tertij, cui nomen *Tigris*, ad timorem Dei mysticè aptati habetur diffusè narratio pro qua satagimus, hausta, vt Auctor libri profitetur, è dissertatione perantiqui cuiusdam Cartusiani apud Comitissam S. Pauli. Tantùm est varietas nonnulla in quibusdam adiunctis, vt posteà referam & exponam. Nunc satis est quòd huius narrationis quasi substantia eo antiquissimo testimonio egregiè firmatur. Picturæ perantiquæ apud Erhardum, & Theodorum Petreium astipulantur, & Doctori nomen fuisse referunt *Raymundus Diocres*. Non est quòd quis hos idiotarum libros fastidiat: nam argumentum à picturis antiquis, non esse parui pendendum, confirmat Dominicus Ansossius [a]. Allegans Alphonsum Villegas præfatione ad vitam S. Christophori, & Baronium cuius ex picturis antiquis argumentationes pleraſque, ex variis eius locis refert. Aio itaque picturas huiuscemodi, perantiquo opere repræsentantes causam conuersionis S. Brunonis pro qua satagimus, extare variis locis, præter

[a] *tractatu de reliquiarũ venerat.* § 9. *n.* 7. & 8.

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

præter ea quæ Erhardus & Petreius proximè adducti, annotarunt. Gratianopoli sanè haud ita pridem, in æde sacra maiore, sacellum quod Dominis Fiacis cessit, fueràtque iam olim propria magnæ Cartusiæ possessio, nec nisi paulo ante specie ornatus obductum est ab albario; picturam damnati Doctoris, & inde commoti ad solitudinem capessendam S. Brunonis, iam olim prætulerat. In valle Benedictionis Villænouæ iuxta Auenionem, insignis Cartusia est ab Innocentio VI. Pontifice erecta, ante annos abhinc trecentos, eo ipso loco vbi suburbanum Pontificis palatium erat, & senatus sacri exedra. In huius Cœnobij cœnaculo, insignis ea ætate pictor artem suam exprompsit, & in eo conclaui ad vsum cœnationis cœnobiticæ exornando, iussu ipsiusmet Pontificis, nauauit operam, exprimens ortum & progressionem Ordinis Cartusiensis, initio ducto à conuersione S. Brunonis, territi spectaculo Doctoris damnati, qui ibi ter è feretro caput attollens, & se accusatum, iudicatum, damnatum pronuntians, exhibetur. Benè verò sit Patri optimo Brysanto Paulino, inibi Priori, insignis prudentiæ ac religionis viro, qui nobile illud antiquitatis monimentum obduci non est passus, tametsi æui iniuria de flore (vt sic dicam,) picturæ, plurimùm remiserit. Et noua cœnaculi exornatio ferre videretur, vt obliterata antiqua pictura veluti tabescente, recens

viuida

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

viuida & mulcendis oculis opportunior, substitueretur. Sed sapienter prudens Prior, noluit hac ex parte recedere vetera, & noua esse omnia, vt perstaret memoria iudicij Innocentij VI. Pontificis, de narratione quam excutimus. In Cartusia Parisiensi à S. Ludouico constituta, non ante triennium publicè prostabant eiusdem spectaculi perantiquæ imagines in oculis Parisiensis Academiæ, quæ nunquam fabulositatem huius narrationis, non nisi ante trinoctium deprehensam olfecit. Et alibi passim in Cartusiis perantiquas picturas similes cerni tradit Theodorus Petreius [a]. Superiore anno exhibuit mihi in Maiore Cartusia, venerabilis pater Ludouicus Hedou, librum precatorium Ioannis Franci, Bituricensium & Aruerniensium Ducis, qui à S. Brunonis ætate non multùm abfuit; eo libello quem auratura & compactio elegans, ac sparsæ identidem olearij subactus imagines, non indignum fuisse vsu tanti Principis persuadent dono Alphonsi Cardinalis Richelei, in Maioris Cartusiæ chartophylacium transmisso, narratio de qua agimus, explicatissimè traditur, appicta triplici imagine, voces damnati Doctoris, in triplici horrifici spectaculi veluti scena, tertiò editas exhibente. Iacobus Du Breuil Parisinus, & Sancti Germani à pratis Lutetiæ Monachus [b] cùm de domo Cartusiensium & inductis Parisios Cartusiensibus differit, testa-

[a] *ad l. 1. chron. Dorlãdi. § 5.*

[b] *l. 2. antiq. Parisiensium.*

E tur

tur idem cerni in antiquissimis libellis precatoriis manu exaratis, & in plerisque editis Lutetiæ ab ipso exortu Typographiæ: monetque in Officio defunctorum iuxta ritum Ecclesiæ Parisiensis, initium primæ Lectionis secundi Nocturni verbis illis conceptum, *Responde mihi*, à tempore quo Doctor damnatus ad horum verborum prolationem caput extulit, erasum fuisse, vsque ad annum 1607. quo Canonici Parisienses, (vt Parisiensis iste ait,) curarunt ea verba reponi in Officio defunctorum, vt obliterarent huius narrationis memoriam; rati vanum rumorem quòd is Doctor fuisset Parisiensis Canonicus, labem suo Ordini inferre. Ad hos vsque dies, quibus per vnius aut alterius pruriginosi ingenij licentiam omnia tentantur, veritas huius narrationis in Gallia fuit extra controuersiam.

7. Nec est omittendum vocalissimum testimonium, ductum ex denominatione, hodieque perseuerante sacelli in quo hæsit ad tempus infame Doctoris cadauer. Nam nunc quoque monstratur, & *damnati sacellum* dicitur, antiquissima & per manus à maioribus accepta nuncupatione. Similiter in vniuerso Cartusiensi Ordine quàm latè patet, eadem narratio à maioribus ad posteros permanauit, summa iam olim consensione, & picturis ac scripturis vetustissimis expressa habetur. Et mirabile esset, Ordinem sacrum à tot sæculis constanti

sanctitate

sanctitate florentem; viris item prudentia & eruditione clarissimis semper abundantem; adeò adamasse fabulosæ narrationis in suo sinu pistæ fermentum; vt eo pasci, & sese gratis deludere, hactenus sustinuerit, nemine putorem figmenti subolfaciente; & de eliminanda è sacræ familiæ septis, gratis excogitata fabellâ, sollicito. Quid quòd narratio ipsa nihil absurdi continet, & multo incredibiliora passim occurrunt in Actis Sanctorum, quæ tamen quia ab idoneis auctoribus prodita, vel à maioribus sunt per manus accepta, probabilitatem suam retinent, obstrepente nemine. Bartoldus Nihusius scribens ad Virum Clarissimum Andream Saussayum, refert ex non inidoneis testibus, extare apud Theodoricum S. Trudonis Abbatem, virum æuo suo insignem, cuius sunt de vita variorum Sanctorum commentarij, vt Bauonis, Rumoldi, & aliorum quorumdam, luculentum huius rei testimonium. Affuisse quippè se ait Theodoricus, & oculis vsurpasse horrificum spectaculum cùm defunctus Raymundus (sic enim eum nominat) caput è feretro surrigeret, seque accusatum, iudicatum, damnatum, proclamaret. Habet affinem narrationem Cæsarius Cisterciensis de Canonico Parisiensi, qui post mortem renunciauit se esse damnatum. Locus est *lib.* 2. *cap.* 15. Alibi quoque [a] narrat de Clerico in Gallia defuncto, qui elato intra feretrum in ca- [a] *lib.* 11. *cap.* 49.

E 2 pite,

pite, hæc verba protulerit. *Iustus iudex iudicauit, iudicatum condemnauit, condemnatũ tradidit in manus impiorum.* Quæ posterior, videtur illa ipsa narratio, cui conuersionem S. Brunonis inædificamus. Nam quòd *Clericum* eum vocat, perinde est ex illius æui vsu, ac si *litteratum* vocasset. Sicut S. Bonauentura, Præpositiuum ait fuisse *magnum clericum*, id est, magnum doctorem. Et Philippus Abbas [a], virginem pro sexu eruditam vocat *bonum clericum*. Videtur ergo hæc narratio, illa ipsa esse pro qua satagimus. Nec est quòd quis tricetur, Cæsarium initio operis profiteri res tantùm suæ ætatis annotare: Cùm ergo fuerit centum annis posterior S. Brunone, narratio quam refert in posterius tempus est referenda. Aiebam non esse quòd quis hoc obiiciat: tametsi enim Cæsarius magnam partem, res sui æui tantùm, nec nisi in suo Cistercienfi Ordine gestas describit; excurrit tamen interdum in alias, maximè cùm non sunt adeò semotæ, cuiusmodi est exemplum Doctoris damnati. Neque enim Cæsarius, ab eius & S. Brunonis æuo, integro sæculo abiunctus est; cùm S. Bruno obierit anno millesimo centesimo primo. Cæsarius [b] autem floreret anno millesimo centesimo octauo, quo anno testatur se interfuisse Coloniæ contioni Henrici Cardinalis Albanensis, Legati Clementis III. crucem prædicantis. Itaque, vt dicebam, omnino verisimile est, exemplum

[a] *lib. de Continẽtia c.* 110.

[b] *lib.* 4. *cap.* 79.

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

plum quod Cæsarius recitat, esse illud ipsum cui tot testes anteà prolati, tribuunt S. Brunonis à sæculo secessionem. Quamquam mihi vel si omnes scriptores de ea narratione & conuersionis S. Brunonis causa siluissent, satis superque ad fidem faciendam esse videretur, perpetua apud Cartusianos (vt iam præmisi) traditio, nullo posteriori termino signatum exordium habens, per manum à maioribus accepta, & ad posteros citra fraudem transmissa. Quid Cartusianam dumtaxat traditionem allego? Quasi non vniuersæ Galliæ ac ipsorum etiam Parisiensium vnanimis traditio, idem tulerit ad nostram vsque ætatem; ita vt non sit obscurum quando primùm dubitatio de veritate narrationis pro qua agimus sit excitata, & quisnam primus eam sollicitarit. Constat sanè Lutetiæ ante annos circiter triginta, vix vllum fuisse, qui de hac occasione conuersionis S. Brunonis, dubitatione tangeretur, vt testatur vir doctissimus, & in sanctis Gallicanis illustrandis, retinendaque aduersus nouitates antiqua veritate nunquam satis laudandus D. Andreas Saussayus, Epistola de hoc argumento ad Bartoldum Nihusium, in quam bonis auibus incidi, cùm ista pridem conscripta recognoscerem. Et cur nemo ante hos paucos annos ambiguus esset circa prædictam causam tacti de cælo potentissimè S. Brunonis, rationem esse ait Hagiologus ille sapientissimus

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

Lutetiæ in natali solo scribens; quia [*Sic maiores crediderant actum, & posteris ad nos vsque, pro re certa atque indubia enarrauerant.*] At neminem latet, quantum sit traditionum in Ecclesia Dei pondus; non modò diuinarum, quæ verbo Dei scripto de auctoritate non concedunt, sed etiam humanarum, vt monstrant qui locos Theologicos pertractant. Siquidem eo vno fundamento, stant innumera nemine reclamante fixa in Dei Ecclesia, tum quoad sacros ritus in nullis scripturis consignatos, tum quoad narrationes sacras de gestis Christi & Sanctorum. Nisi hæc stabilitio narrationis propositæ sit idonea, contendo nulla deinceps fore Sanctorum acta, extra Scripturas Canonicas, quorum veritas non vacillet. Cedo enim in omnibus Metaphrastis, Lippomani, Surij, Rosuedij, Boldani voluminibus de vita Sanctorum, firmius quippiam, & cui per tricas & cauillos, seu potiùs per voluntariam in sensu contrario obfirmationem, insidiari non liceat.

8. Quid porrò sit, quod aduersus narrationem tam multipliciter communitam, & tot idoneorum suffragatorum testificatione firmatam proferant, interest scire. Qui primus hanc narrationem obliquè arrosit, Papyrius Massonus [a]. Causatur silentium Petri Cluniacensis, qui Cartusianorum nascentem tunc ferè familiam describens ac celebrans, de ea narratione planè silet. Verùm si quem fortè latet, cuius-

[a] *lib. 3. histor. Franc.*

modi

modi homo fuerit Papyrius Massonus, docebit sciendi auidum Martinus Delrio [a]. Argumentum certè eius, pessimè materiatum est, & vel quatiente aut propellente nemine labans. Nam apud Dialecticorum pueros peruulgatum est, ludicrum haberi argumentum ab auctoritate negatiua, siue à silẽtio & præteritione nuda anteriorum, qui quidem non refragentur, sed tantùm non suffragentur. Ridet hanc argumentandi formam S. Hieronymus, tractans contentionem Petri cum Paulo circa legalia: Cùm enim aliqui, ex Lucæ silentio colligerent, Cepham illum, cui Paulus in faciem restitit, alium à Petro fuisse? reponit S. Hieronymus, si ea argumentandi forma probetur, ruitura pleraque apud omnes indubitata, quæ Lucas historiographi licentia, (vt sanctus Hieronymus loquitur) prætermisit: vbi enim commutati Antiocheni Episcopatus in Romanum mentio apud Lucam? Vbi apud eundem Petri Romam profectio. Alia non pauca vrgeri possent, quæ rata & indubitata apud Catholicos, eo stramineo argumento euerterentur, si tanquam idoneum admitteretur. Quis verò non videt, non omnes scriptores obstringi ad omnia exprimenda quæ cõtigerint ea tempestate, de qua aliquid chartis committunt. Ipsimet Euangelistæ, non omnes omnia de Christo scribunt, sed vt D. Augustinus [b] dixit, [Ideò necessarium est vt legantur omnes, quia sin-

[a] *lib. 2. Mag. q. X. in fin.*

[b] *ser. 87. de Diuers.*

guli non dixerunt omnia; ſed quæ alius prætermiſit, alius dixit, & quodammodò ſibi dederunt locum omnes, vt neceſſarij eſſent omnes.] Ac proinde adhibita ea cauillandi ratione, fas eſſet, vnius Euangeliſtæ auctoritatem ſilentio cæterorum ſollicitare. In teſtatiſſimis de vita Sanctorum narrationibus quàm multa labarent, imò conciderent, ſi hæc argumentandi à ſilentio ſcriptorum eiuſdem æui, forma conſiſteret?

9. Inter innumera alia quæ prætereo, nolo diſſimulare exemplum quod occurrit. S. Alexius vixit Innocentij I. & S. Auguſtini ætate, Romæ. Vir erat è primaria nobilitate: eius vitæ exempla adeò illuſtria ſunt, vt pro miraculis haberi poſſint, vixque in omnibus Sanctorum hiſtoriis aliquid admirabilius & celebratu dignius poſſit occurrere, ſiue theatrum in quo pugil ille certauit, ſiue perſonam ipſius, ſiue certamina ad eam diem inaudita conſideres. Exurgat nunc aliquis è fortium ingeniorum numero, & tantæ ædificationis narrationem conuellere tentet, cauſatus omnium veterum de eo ſilentium. Argumentetur, & dicat; Quomodo D. Auguſtinus, quomodò Proſper, tam inſigne gratiæ opus prætererierunt, cùm de Diuinæ gratiæ ſtupendis operibus, in tot lucubrationibus agerent? Quomodò Oroſius adeò raram hiſtoriam prætermiſit? Quomodò Caſſianus de contemptu ſæculi per ea tempora

ſcribens, tam luculenter, hoc in eo genere progidium miſſum fecit? Vſque adeóne riguerunt omnibus illius æui ſcriptoribus digiti, (& fuêre eo aureo ſæculo innumeri in Chriſtianæ religionis decora propalanda intentiſſimi, quale iſtud fuit planè ſingulare;) vt nemo eorum, vel ex inſtituto, vel obiter, rem tantam attigerit? Nam quæ de S. Alexio prodita ſunt ab obſcuris quibuſdam Auctoribus quos ſignat Baronius ad Romanum Martyrologium 17. Iulij, longè poſteriùs ſunt exarata, & firmantur teſtibus quos fortia ingenia minimè facerent magni. Negent ergo quidquid de S. Alexio iactatur, adeò ſtupendum vt carnalibus hominibus ſupra humanum captum videatur. Dicant fabulas eſſe, otiosè ad ingenij exercitationem excogitatas: quia nemo veterum, nemo inquam probatorum Patrum, eius hiſtoriæ meminit. Omnes eam quaſi ex condicto preſſerunt. Si hæc argumentandi ratio (qua vna impetitur vulgaris de S. Brunonis conuerſione narratio), ratà habeatur, concidet ea hiſtoria, qua vix illuſtriorem habet Eccleſia inter Sanctorum Acta. Nec puto adeò fortibus hiſce ingeniis obduruiſſe frontem, vt eam diſiectam putent hoc planè caſſo ariete, quem in vulgarem de S. Brunone narrationem intentant, ex ſilentio illius æui ſcriptorum: cùm tamen manifeſtum ſit, non omnes alicuius temporis ſcriptores, obſtringi ad ea chartis com-

 mitten

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

mittenda, quæ tunc contingunt, tametsi illustria; & quæ scribantur dignissima.

10. Non priùs abscedo, quin moneam, hac ipsa argumentandi infelicitate vsos Anabaptistas, ex silentio Iosephi Hebræi de miraculo piscinæ probaticæ mentionem S. Ioanni Euangelistæ impegisse, & totam illius de ea piscina narrationem fabulositatis damnasse. Quam argumentationem Toletus Ioannis 5.[a], *ridiculam, vanam, futilem* pronunciat. Audiant qui suum ex Auctorum silentio argumentum tantoperè magnificant. Nec dissimiliter Magdeburgenses, causati silentiũ Eusebij, expunxerunt quotquot libuit veterum scripta, quorum explicatè non meminisset Eusebius. Qui tamen, vt rectè admonuit Turrianus[b] hoc stupidum argumentandi genus fusè reprehendens, non omnia vidit, aut videre potuit. Et disertè id profitetur ipsemet Eusebius, pluribus locis, quæ idem Turrianus diligenter notauit. Præiueratque S. Maximus, qui agens contra eos qui ex silentio Eusebij abiudicabant sancto Dionysio Areopagitæ, opera nomen eius præferentia, multos profert veteres Patres, ac etiam ex ipsius Eusebij ciuibus, quorum ille libros præteriit. Sicut igitur argumentũm ex silentio Eusebij ac similium ductum, imbelle est, ita neque argumentum contra veritatem causæ conuersionis S. Brunonis, petitum ex silentio scriptorum, nullius est momenti.

[a] *annot.* 3.

[b] *lib.* 5. *contra Magdeb. cap.* 20.

11. Secun

PVNCT. 3. *Causa Conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

11. Secundus aries qui in propositam causam conuersionis S. Brunonis intentatur, est autoritas ipsiusmet sancti Brunonis,& Guiberti Abbatis de Nouigento, qui auctor est operis, cui titulus *Gesta Dei per Francos*, & vixisse fertur tempore S. Brunonis, Ipse igitur S. Bruno Epistola ad Rodulfum Rhemẽsis Ecclesiæ tunc Præpositum, posteà Episcopum, data ex secessu apud Calabros, reuocat ei in memoriam, conceptam Rhemis & communi cõsensu voto firmatam voluntatem abiiciendi sæculi, post pios sermones vltro citroque habitos, de falsis oblectationibus, ac perituris huius mundi diuitiis, nec non de perennis gloriæ gaudiis. Vbi altum est silentium, de motiuo conuersionis ex horrifico damnationis renunciatæ spectaculo: & cõuersio Rhemis facta refertur, non Parisiis, vbi luctuosum illud spectaculum obiectum proditur. Guibertus item de Nouigento, in opere de vita sua, cùm venit ad S. Brunonis conuersionem, in qua scribenda multus est & accuratus, planè tacet de horrifico demortui Doctoris spectaculo: ait autem, S. Brunonem conuersum esse occasione malignitatum & grassationum Manassis, perditissimi Episcopi Rhemensis, ab Hugone Diensi Sedis Apostolicæ Legato, sæpiùs excommunicati, thesaurorum Ecclesiæ dilapidatoris, ac demum absque communione Catholica defuncti apud Henricum Imperatorem ab Ecclesia segregem,

gem, ad quem confugere, niger ad nigrum adactus fuerat. Narrat inter cætera sacrilegia, quibus Rhemensem vrbem incestabat impius Manasses diffractum ab eo fuisse aureum calicem sanè præclarum, & adiecta (vt ferebatur) auri Christo puero à Magis oblati particula, religiosiorem eum calicem cùm in varia frusta comminuisset Manasses, vt plures inde donaret, recusantibus cæteris initiati calicis fragmina, nobilis nequitiâ miles, intrepidè partem accepit; & illicò versus in amentiam haud seras sacrilegij pœnas dedit. Pertæsus igitur Manassis & gregalium eius sacrilegia S. Bruno, (iuxtà Guibertum,) decreuit Rhemis abscedere, & cùm foras secessisset, aspirante potentiùs Deo, voluntatem quoque sæculi calcandi concepit. Quid hæc, cùm ab ipso S. Brunone, tum à Guiberto eius æquali, & rerum S. Brunonis scientissimo scriptis commissa, ad narrationem vulgatam de S. Brunonis conuersione, ex euersione Doctoris demortui, se damnatum renunciantis Lutetiæ?

12. Miror, viros eruditionis & sapientiæ fama celebres, qui hunc arietem intentarũt aduersùs protritam causam conuersionis S. Brunonis, non perspexisse quanta sit eius imbecillitas. Quid enim? Testatur S. Bruno, se Rhemis post pios sermones cum Rodulpho voluntatem abiiciendi sæculi concepisse, & voto firmasse: Igitur non calcauit reipsa sæculum pro-

specto

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

specto Lutetiæ horrifico Doctoris dãnati spectaculo? Hæc ratiocinatio est planè cassa. Potuit enim S. Bruno, post conceptam volũtatem calcandi sæculi, non dico intepescere, aut etiam frigescere, vt multis votifragis contingit, sæpeque expostulat Petrus Damiani; sed istam piam voluntatem fouendo, operiri prudenter occasionem eius opere exequendæ; & interim potuit contingere clades Doctoris quæ moras omnes abrumpere adegerit, si verum est (vt plerique velle videntur,) concussionem ex manifestata Doctoris damnatione, fuisse postremam. Atque ita illa causa conuersionis S. Brunonis, quam ex Epistola ad Radulphum eruunt, cohæret cum protrita causa conuersionis, ex patefacto exitio Doctoris. Sicut si motiuum conuersionis S. Brunonis fuissent sacrilegia Manassis, (vt aiunt Guibertum asserere,) nihilominus deberet saluum manere, quod S. Bruno de se fastidiente sæculum ad Rodulphum scripsit. Nimirum ignis ex piis alloquiis primùm conceptus, augeri potuit, & in flammas deuorantes erumpere, occasione sacrilegiorum Manassis Pseudo-Episcopi, iuxta Guiberti assertionem. Atque ita binæ illæ causæ, conuersionis S. Brunonis pedetentim consummatæ, probè cohærent, nec vna cum altera colliditur. Quidni ergo cohærere item possint, cum causa conuersionis vulgatissima, petita ex damnatione Doctoris? Potuit sanè Deus adhibitis

adhibitis prioribus illis concussionibus commouere paulatim desertum Cades, donec postrema illa & omnium validissima concussione accedente, funditùs subuerteretur.

13. Sic respondeo ad propositam difficultatem, supposito (quod video à plerisque supponi) secessionem S. Brunonis, secutam esse post horrificum spectaculum, præmissis anteriùs aliis illis diuinis excitationibus. Quanquam non est inuerisimile, illas alias excitationes fuisse posteriores ea, quæ concepta est horrifico illo damnati spectaculo: quod faciliùs perspicietur, si cogitemus, S. Brunonem non adeò rapidè secessisse à sæculo, quin ad prudentem executionem, & sociorum congruam aptationem ac firmationem, inducias interposuerit haud prorsus exiguas. Nam iuxta Petrum Sutoris [a], ab obiectu horrifici spectaculi, consignati anno 1082. secessio in Cartusiam, dum consilium excogitur, dilata est vltra annum. Imò si idem Sutoris benè tempora subduxit; dilata est secessio per annos circiter tres, quandoquidem admittit, post spectaculum horrificum anno 1082. exhibitum, S. Brunonem distulisse secessionem in Cartusiam ad annum vsque 1084. quo primùm subiit tesqua illa, & auios recessus. Per eam ergo temporis capedinem, potuerunt omnia illa concurrere quæ S. Bruno ad Radulphum refert, & quæ Guibertus de eo scribit; ita vt concussio

[a] *lib 1. de vita Cartus. tr. 2. c. 3. & 4.*

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

cussio ab horrendo spectaculo fuerit prima, & sensim accesserint aliæ, ductæ tum ex piis colloquiis cum Rodulpho, tum ex fastidio sacrilegiorum lupi nomen pastoris præferentis.

14. Quamuis autem hac ratione argumentum ductum ex S. Brunonis & Guiberti scriptis commodè infringitur; tamen addendum est, neque tam vicinum temporibus S. Brunonis fuisse Guibertum, quàm fingunt qui eum allegant contra veritatem pro qua satagimus; neque adeo peritum rerum S. Brunonis, vt eius auctoritas in eo negotio videri debeat ineluctabilis. Nam quamuis non fuerit adeò remotus à tempore S. Brunonis, vt sonant illa eius verba. *Fuit non longè ab his diebus, Bruno quidam*; tamen eum esse posteriorem S.Brunone spatio non paucorum annorum, liquet ex eo quòd cùm descripsisset quantæ opes legatæ essent Ecclesiis & Monasteriis tempore S.Brunonis, subiicit querelam de commutatis posterorum voluntatibus circa bona, quæ maiores tunc contulerant locis sacris. Quod est patens argumentum, de Guiberto annis non paucis S. Brunonem subsecuto. Quod verò idem Guibertus, non multùm callueritres S. Brunonis, multa demonstrant. Et imprimis quale est, quod scribit S.Brunonis socios fuisse,aliquot nobiles Clericos Rhemenses.At hoc est manifestè falsum. Nam Lauduinus eius posteà successor, Italicus erat, vt ait Petrus Cluniacensis

niacensis, id est, Lucensis, duo Stephani erant Canonici S. Ruffi, vnus Burgensis, alter Diensis, quartus Hugo nomine, gradu sacerdos, gratis statueretur, Clericus nobilis Rhemensis & multò magis duo laïci, Andreas & Guarinus. Itaque apertè hîc cespitauit Guibertus. Quale item est quod scribit S. Brunonem dilapsum esse è Cartusia, ob causam incompertam? [Inde (inquit de Cartusia,) nescio qua occasione, mirabilis iste Bruno recedens; postquàm his quos prælibauimus rudimenta, multa dictorum & factorum inculcatione præstiterat, ad Apulos nescio, Calabrósve concessit, & ibidem huic quiddam simile viuendi genus instituit. Ibi cùm multa humilitate se ageret, & omnimoda piorum exemplorum probatione circumquaque fulgeret, ad Episcopi dignitatem ab Apostolica sede quæsitus & tentus, fugit, & sæculum veritus, ne ea quæ de Deo gustauerat, amitteret in delatione tanti muneris, non diuina, sed secularia recusauit.] Rudem rerum S. Brunonis se prodit Guibertus. Quot verba, tot hallucinationes, aut ignorationes. Ignorauit caussam secessionis S. Brunonis è Cartusia; neque Romam profectum, ibíque annos non paucos commoratum agnoscit; sed è Cartusia sine transitu per medium eum transfert in Apuliam aut Calabriam: ad vtram reuera concesserit, ignorat. Falsus verò planè est circa fugam

aduersus

aduersus iussa Summi Pontificis, cùm in Calabria vel Apulia degens, tentus esset, vt in Episcopum promoueretur, mandante Vrbano. Fabulæ meræ, hæc omnia. Quo porrò à facie Vrbani Papæ fugeret vir Sanctus, qui sciret tam longas esse manus Christi Vicario, qui conscientiam illigandi potestatem est nactus? Itaque auctoritas Guiberti, quoad res S. Brunonis, non est tam firma, quin labare & disiici possit.

15. Aries tertius quo impetitur narratio de causa conuersionis S. Brunonis ex occasione Doctoris damnati, ducitur ex eo, quòd hæc narratio sit nouitia, nec ita multò antè cusa. Nemo enim ante Gersonem, qui abhinc annis ducentis scripsit, & ex rumore vulgato causam secessionis S. Brunonis in spectaculum prædictum retulit, ea lucubratione quam inscripsit *de simplificatione cordis*, assignauit eam causam secessus S. Brunonis, & fundatæ Cartusianæ familiæ. Est igitur ea narratio explodenda.

16. Reuoluimur in primam argumentationem, ex antiquorum scriptorum silentio, quam adeò potenter contriuimus, vt nihil sit necesse eò reuenire. Præterquàm quòd hæc criminatio manifestè seipsam euertit: agnoscit enim Gersonem nobis astipulari, & causam conuersionis S. Brunonis referre in patefactam Doctoris damnationem ex peruulgato rumore. At is rumor non tum primùm exortus erat, sed

F iam

iam olim percrebuerat ab initio excitatæ Cartusianæ religionis. Vel signetur tempus posterius, quo primùm excitatus est, & cuius arte, ac vbinam gentium. Simili argumento S. Augustinus mores Ecclesiæ vniuersales, quorum nequit assignari cum certo posteriore auctore certum initium, vult reuocari ad Apostolos, & Ecclesiæ initium. Non adscribor autem subdolæ vellicationi Gersonis, quem insinuant ex simplicitate adhæsisse vano rumori apud plebeculam, & aniculas peruulgato de damnatione Doctoris. Fuit Gerso simplex & rectus, sed ea simplicitate quæ prudentiam non excludit, & ab asinitate ac hebetudine plurimùm abest. Norunt sanè qui eius scripta euoluerunt, fuisse scriptorem tanti æuo suo nominis, vt de accuratione & sapientia nulli concederet. Cum manifesta autem veritatis oblæsione dicitur, causam illam secessionis S.Brunonis, omnes ante Gersonem latuisse. Quàm multa enim Gersone longè antiquiora testimonia signauimus superiùs? Itaque narratio cui confirmandæ insistimus,non est explodenda, eo quòd sit nouitia, vt censor quem repellimus diuinat: sed id de improbatione huius narrationis est affirmandum, cuius initia & primi Auctores, nostra tempora non transgrediuntur.

17. Intentatur quarto loco, diuersitas adiunctorum, quibus ea narratio conuestitur apud

apud varios. Sunt enim qui infelicem illum *Doctoris* titulo cohonestent. Sunt qui Canonicum fuisse tradant. Et ex prioribus aliqui, legum vel Canonum Doctorem fuisse dicunt, aliqui Theologiæ Doctorem. Nonnulli aiunt, eius anastasim & damnationis proclamationem accidisse domi; alij in via publica, cùm funus duceretur; permulti in Ecclesia, inter legendum præscriptas leuandis mortuis preces. Et illud ipsum officij Ecclesiastici pensum ei exsolutum plerique omnes tradunt, quod nunc in sacris libris ritualibus legitur, distinctum tribus nocturnis, cùm tamen huiusmodi formulam precandi pro defunctis, fuisse tunc in vsu nemo confirmet. Auctor libri de quatuor Paradisi fluminibus ad ciuitatem animæ purgandam & circundandam, quem ex perantiquo Metensi Codice allegabam, ait, cùm cadauer Doctoris domi asseruaretur in sandapila, excubantibus & mortuale officium exsoluentibus è libello precatorio tribus defuncti discipulis, defunctum extulisse caput; semel ad quodlibet Nocturnum; primò cõtestantem se accusatum, tum iudicatum, atque damnatum: & vbi hæc liquidò & apertè est professus, cadauer subito impetu abreptum, ac ab eorum oculis subductum euanuisse, tanto cum horrore discipulorum, vt de secessione in eremum consilium inirent, & mox exequerentur. Hæc tanta circumstantiarum varietas, non modò suspectam

PVNCT.3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

reddit narrationem in quam cadit, sed etiam falsitatis reuincit. [Veritas enim (inquit Seneca, [a]) in omnem partem sui, semper eadem est,]mendacium è contrario est multiforme, quia [quæ decipiunt, nihil habent solidi.] Itaque valet hîc quod idem subiungit; [Tenue est mendacium; perlucet, si diligenter inspexeris.]

[a] ep.79.

18. Admitto varietatem aliquam adiunctorum, in hanc narrationem inductam esse apud varios: Sed aio satis esse, quod narrationis veluti substantia, sit salua. Voco *narrationis substantiã*, quod Doctor reprobus damnationẽ suam, post obitam mortem patefecerit, & quod ex ea causa S. Bruno calces sæculo illiserit. Diuersitas in cæteris, exigua est, nec admodùm curanda. Qua verò securi, ob eam diuersitatem adiunctorum excinditur veritas narrationis quam excutimus, eadem excindendæ essent aliæ quàm plurimæ ac indubitatæ narrationes, v.g. narratio de S. Crucis inuentione, apud omnes Catholicos adeò rata est, vt non supersit ambigendi locus, cùm solemni officio recolatur in Ecclesia. Et tamen tanta est varietas scriptorũ in referendis illius Inuentionis circunstantiis, vt Hæreticos non puduerit, totam eam narrationem ad Deum Fabulinum ablegare. Sed hoc illi insipienter & imprudenter præstitere, vt benè reuincit Gretserus [b]. Catholici, tametsi eam apud varios diuersitatem interuenisse non diffitentur,

[b] lib.1.de Cruce.

fitentur, vt idem Gretserus [a] fusè persequitur, ibidem, & ad orationem Seueriani Gabalensis de Cruce, tamen contenti sunt quòd salua sit narrationis illius substantia. Negemus verò fuisse aliquando in orbe terrarum S. Vrsulam, vel SS. Christophorum ac Georgium, quia de eis tam varia apud varios narrantur. Historia cædis Iuliani Apostatæ, est indubitata, & ab omnibus Christianis, vt insigne Dei opus celebratur. Ei tamen fidem non abrogat ingens omnino tam dissidentium adiunctorum descriptio apud S. Amphilochium, res B. Basilij prosequentem, ac S. Gregorium Nazianzenum & alios. Videsis Baronium anno 363. ac Rosuedium [b]. Nemo non videt quàm immensus campus ad excurrendum pateret, si fortior vanissimæ argumentationis depulsio, necessaria esset. Itaque vno verbo dico, vbique separandum esse pretiosum à vili: & in hac re, ea narrationis adiuncta magis probanda videri, quæ à pluribus constanter sunt tradita, & in omnibus S. Brunonis Actis leguntur. Nimirum, vt Doctor reprobus caput è feretro inter publicas preces in Ecclesia extulerit, & se damnatum renunciauerit. Quod autem ad antiquitatem officij defunctorum attinet, perperàm significabatur posteriorem esse S. Brunone, cùm sit longè anterior. Belethus, Gulielmus Durandus, Gauantus ad Origenem [c], huius officij compositionem, saltemque amplificatio

[a] *c.65. ib. cap. 2.*

[b] *ad vitã S. Basilij Amphilochium.*

[c] *lib. de off. c. 160.*

PVNCT. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

cationem referunt, & Gauantus [a] testem allegat SS. Isidorum & Augustinum [b]. Qua fide, ipse viderit. Alij Amalarium S. Brunone longè anteriorem statuunt huius officij autorem, vt Arnoldus VVion & Posseuinus. Tribuit idipsum S. Ambrosio Isidorus de Isolanis; & S. Augustino Iacobus de Valentia [c]. Discutio huius officij vetustatem alio loco, vt & Oliuerius Bonascius, tractans horas Canonicas.

[a] *l. 7. ration. cap. 35.*
[b] *Cõmẽt. ad rubr. Breuiar. §. 9 c. 2.*
[c] *3 p. hæteroc. § 3. p. XI. q. 7.*

19. Opponitur quintò infamia parentis Academiarum, cuius Doctor damnatus iactatur. Vel si dicatur fuisse Canonicus, respergitur infami probro collegium Canonicorum Parisiensium, è cuius corpore homo sua testificatione damnatus ad inferos, absque fundamento circumfertur. Ita buccis concrepantibus, & sonantissima in vulgatam narrationem conclamatione, quidam filius cuiusdam. Nec negari potest, quin hæc fuerit præcipua ratio tentandæ, ac, si fieri posset, conuellendæ narrationis quam excutimus.

20. Verùm timetur hac in parte, vbi non est timor. Labes enim quam siue Academiæ, siue Canonicis Parisiensibus inferendam timent, non est reuera præstantissimorum corporum dedecus, nisi si dehonestat cœtum Apostolicum, euasio Iudæ in Diabolum, aut nisi Religiosi Ordines, censendi sunt infamiam contrahere, per infelices ruinas eorum qui aliquando iisdem Ordinibus fuêre conserti, quod

sacris

ſacris familiis abſurdè affingendum eſſe demonſtro, tractans de Apoſtaſia [a]. Cæterùm Canonicos omninò liberamus huius infamiæ metu, cùm negamus fuiſſe Canonicum ſolo *Doctoris*, id eſt, *Magiſtri Theologiæ*, titulo ei vendicato. Neque idcirco Doctoribus ſiue Magiſtris ſacræ doctrinæ, labes vlla timenda eſt, ob rationem propoſitam. Quòd ſi hic timor iuſtus eſt, eradant exaratam apud teſtes locupletiſſimos, æternam damnationem Philippi, Academiæ Pariſienſis Cancellarij, proſtantem apud Magnum Albertum [b], & Thomam Cantipratanum [c], ac Raulinum Cluniacenſem [d]; qui non premunt cauſas æternæ eius damnationis, addenſationem ſacerdotiorum, ſpurcitias carnis, & huius cœni lutulenta capita atque fluenta. Nemo tamen idcircò plus culpauit aut infamia aſperſit, ſiue Academiam, ſiue alios eius Cancellarios, quàm infamandam cenſuerit matrem ſuam, ex probro quod infidelis quæpiam & thori ſui proditrix vxor contraxerit, prolabens in adulterij volutabrum.

21. Vrgetur ſexto loco, Pontificia reciſio huius narrationis ex Romano Breuiario, in quod intruſa fuerat in officio S. Brunonis, auctoritate Gregorij XV. Sed Vrbanus VIII. recognoſcens Breuiarium, eam expunxit, memor præclaræ D. Auguſtini [e] ſententiæ, cui Tertullianus, [f] & Caſſianus, [g] atque Facundus [h]

[a] *cap. 2.*
[b] *lib. de Sacram.*
[c] *lib. 1. Apum. cap. 19. n. 6.*
[d] *in Doctrinali mortis tr. 3. c. 7.*
[e] *l. 3. cōtra Creſ. cap. 3.*
[f] *lib. de pud. c. 1.*
[g] *lib. 2. de Incar. cap. 4.*
[h] *lib. X. cap. 2.*

consentiunt. [Sententiam falsam nunquam tenere, prima laus est, secunda mutare.] Et cùm nemo Catholicus ignoret, quanti esse debeat iudicium Romani Pontificis, Christi in terris Vicarij, poterit deinceps, insignis (vt minimùm) temeritatis damnari, qui Romanæ cortinæ oracula abiiciens, anilibus narrationibus gratis ad plebem commouendam excogitatis, voluerit immorari.

22. Quid dignum tanto feret hic minitator hiatu ? Bona verba quæso. Nemo narrationem pro qua laboramus, confinxit ad commouendam plebeculam. Suppetebant apud S. Gregorium, ac Bedam, & complures alios, multæ admodùm horrificæ narrationes, iustè commouendo ac perterrendo populo aptissimæ : vt non fuerit opus, in hunc vsum, gratis istam comminisci, quam vbi, & à quo sit concinnata, & in vulgus sparsa, nemo nisi gratis comminiscatur, si eam ad tempus S. Brunonis referre detrectet. Sed dimittamus insulsos hos sales. Narrationem de qua agimus, neque Gregorius XV. in Romanum Breuiarium intulerat, neque Vrbanus VIII. expunxit, nisi eo modo, quo Regum nomina præferunt decreta, quæ ab administris per concreditam à Regibus auctoritatem conficiuntur. Intulerat primùm, & posteà expunxit hanc narrationem sacra Rituum Congregatio, cuius est sacris officiis & librorum ritualium

lium recenſioni ac recognitioni nauare operam, permittente illi hanc curam Pontifice. Quare cùm cœtus ille, participatione Pontificiæ auctoritatis reſperſus ſit, & viris doctis ac ſapientibus abundet, non poteſt eius iudicium non fieri permagni, à quocumque cordato & Catholico. Nego tamen ex reciſione per ſacram Congregationem indicta, quicquam decedere narrationi, quam conſtantiſſima Cartuſianorum traditio habet pro veriſſima. Neque enim ſacra Congregatio voluit ſuo iudicio grauare huius narrationis veritatem aut probabilitatem; quaſi eam reſecuerit, quia falſam crederet, & omnes vt eam reſpuerent, docere vellet; ſed alias ob cauſas. Ianus Nicius Erythræus, epiſtola ad Bartoldum Nihuſium, teſte ipſo Bartoldo, præfante ad lucubrationem viri Clariſſimi Andreæ Sauſſayi pro hac hiſtoria, confirmat conſultam abs ſe de hoc negotio ſacram Rituum Cõgregationem; reſponſúmque tuliſſe, ea reciſione S. Congregationem nihil præiudicatum voluiſſe aduersùs narrationis veritatem, ſed alias ob cauſas eam narrationem remouiſſe à Breuiario. Quæ verò illæ cauſæ fuerint, reticuit Nicius. V. P. Puteanus, religione & rerum gerendarum peritia Romæ multos iam annos notiſſimus, cùm pro munere Procuratoris Generalis quod obit, mandante R. P. Generali, ſacræ Congregationi in eam rem obtuliſſet libellum ſup-

plicem, responsum tulit, mentem S. Congregationis nunquam fuisse, improbare, aut in dubium vocare narrationis huius veritatem: sed consultius visum esse, eam expungere, quòd mos Ecclesiæ ferat, in sacris officiis Sanctorum, qui religiosas familias instituerint, recensere eorum vitam, non causas ex quibus ad instituendum Ordinem suum fuerint impulsi. Et potest in hanc recidendi causam, referri illa alia quam vir quidam sapientissimus percontanti mihi de eo Romæ anno superiore, quorsum facta esset ea mutatio, respondit, cùm alicunde breuiandæ essent lectiones officij S. Brunonis, (erant enim longiusculæ, & vltra quàm ferat vsus receptus diffusæ;) nihil occurrisse quod minore incommodo remoueri posset; vt retinerentur quæ pluris intererat scire, & cum maiore S. Brunonis gloria sunt coniuncta. Cæterùm S. Congregationem, de conuellenda eius narrationis veritate, vel de ea deprecianda, ne cogitasse quidem. Num insomniosi cuiuspiam coniectanea, vel sensa mea gratis cusa produco? Est ad manum, omni exceptione maius ac decretorium testimonium, quod absit vt pressum velim. Asseruatur Romæ in Vaticana Bibliotheca, liber maiorum autoritate ad posteriorum informationem conscriptus, de rebus in nupera Romani Breuiarij recognitione mutatis. In eo authentico opere, cùm ad mutationem factam in le-

ctionibus

ctionibus officij S. Brunonis deuenitur; exprimitur, (planè præter morem, sed haud dubiè ex speciali numinis contra Aristarchos prouidentia,) exprimitur inquam, recisionis in illis lectionibus factæ, causa: disertéque ac liquidò proditur, sublatam esse narrationem de Doctoris damnati anastasi, non quòd ea narratio falsitatis esset insimulata; sicut neque falsitatis insimulata est professio fidei, de Eucharistia Christum reipsa continente, quæ tamen professio æquè recisa est, vt ibidem annotatur, eo quod lectionem cui conferebatur efficeret longiusculam. Similiter igitur, idcirco tantùm dicitur, expunctam esse eam de Doctore damnato narrationem, quòd Lectionibus quarum breuiatio captabatur, prolixitatem iusto maiorem inferret; nec superesset locus propriis S. Brunonis ornamentis, atque virtutibus, quas potiùs intererat in sacris lectionibus percenseri, vt iam præmisimus. Hæc cùm ita sint, & qui mutationem de qua agimus, induxerunt, disertè contestentur, mutationem illam adhibitam dumtaxat fuisse ad breuiandas contrahendásque lectiones, nec fuisse correctionem falsiloquij, quo priùs lectiones sorduissent; quis ausit aduersùs veritatem narrationis pro qua satagimus, obtendere Romani Breuiarij falsò nominatam correctionem, repugnantibus ipsismet eius Autoribus, qui correctionem fuisse negant, contradictio-

nem

nem verò ac decurtationem appellant?

24. Postrema machina quæ aduersus narrationem propositam intentatur, est sensus fortium ingeniorum, quæ ferunt ab huius narrationis tanquam commentitiæ, approbatione abhorrere. Non insistam hoc loco disiectioni huius machinæ, quòd sufficienter id præstitum censeam in Antemurali aduersus arietes fortium ingeniorum, quatientes historiæ S. Benedicti veritatem. Peruelim tamen obiter scire, quæ sint ista fortia ingenia, & vnde huius appellationis decus retulerint. Est enim fortitudo quædam ingeniorum, persimilis fortitudini Celtarum, apud Aristotelem [a]; qui armati occurrebant fluctibus, donec vndis absorberentur, ne viderentur mortem pertimescere. Hic stupor & furor est, iudice eodem naturæ scriba [b]. Non secus igitur statuendum est de quorumdam ingeniorum fortitudine, quocumque denique loco sit apud præfidentes Thrasones. Athei, quibus interritis nubes crepant, num idcircò verè fortes ingenio? Lutherus superiore sæculo, fortis & validus ingenio audiuit apud combibones, quòd ausus esset omnium eo tempore primus, repagula omnia pudoris ac verecundiæ perfringere; & quidquid in buccam venisset, contra Diuos, contra Ecclesiasticos ritus, contra Sacramenta, sed maximè contra Pontificem Romanum profundere. Id enim erat argumentum quo maximè

[a] 3. Eth. cap. 7.

[b] 1. magno. mor. cap. 19.

ximè delectabatur validitas effrænata Martini; præsertim cùm benè potus, solito hilarior, ad dicendum accedebat. Demirabantur & deprædicabant tantam ingenij eius fortitudinem, qui eodem erant genio, noui huius Iouiniani asseclæ. Quis sapientum atque sanorum, eam esse genuinam ingenij fortitudinem dixit? Imò, quis eam extra pecuinos illos eadem contactos scabie, non est execratus? Mittamus nefanda hæc nomina, quorum memoria in damnatione est. Inter Semichristianos, laudem ingenij quo valere videbatur, obscurauit Erasmus vana fortitudinis ostentatione, ausus arrogare sibi in Patrum libris Dictaturam, ad expungenda, & veris parentibus abiudicanda, vel in controuersiam vocanda, quæcumque fastidioso homini desipiebant. Qua in parte, incredibile dictu est, quantum prætensa Erasmi fortitudo ingenij, rationibus Ecclesiæ obfuerit: quippe qui prolusit Magistris liberioris impietatis, qui ad gustus sui & saliuæ amussim, direxere iudicium de sacris Scripturis & Traditionibus; admittentes quæ palato ipsorum saperent, cæteras respuentes. Non est hæc ingenij fortitudo celebranda, sed inlisa diri anathematis solea, validè obterenda.

25. Audire porrò velint, quàm ab hac adulterina ingenij fortitudine, procul sit ea ex qua S. Brunonis historia, plurium sæculorum vnanimi consensu firmata, tentatur ab istis quibus

fortium

fortium ingeniorum appellatio vendicatur. Nec non ab ea qua iidem fortes ingenio, quæcunque ipsis non sapiunt, aspernantur ac despuunt pro libito. Hi quippè sunt, quibus S. Mariæ Magdalenæ, ac sororis eius Christi hospitæ B.Marthæ, appulsus in Gallias ridiculus & fabulosus habetur; tantùm quia placet. Quibus Dionysij Areopagitæ, Parisiensis Apostolatus, inter Æsopi fabularum accessiones collocatur. Quibus S. Benedicti Pastoris pontem Rhodano imponentis historia, fabulositatem narrationis Gigantum Pelion Ossæ superaggerentium redolet. Quibus in S. Francisci corpore, pertusos artus & foratum pectus agnoscere, anile videtur. Quibus esse Laureti apud Picentes ædiculam ex Oriente asportatam, in qua Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, non habetur verosimile, vt vt de eo statuat Christiana plebs vniuersa, omnésque Pontifices. Ohe, iam satis est. Vereor enim ne hæc ingeniorum fortitudo adeò inualescat, vt ad tentandas quoque Sacramentorum materias ac formas à Christo ipso constitutas, & nunquam abrupta continuatione hactenus in Ecclesia firmas ac ratas, ausu Gigantæo aggrediatur, Inter hæc, veritatum nouæ ingeniorum fortitudini (veriùs ferociæ), ludibrium debentium argumenta, numerationem de S. Brunonis conuersione ex spectaculo horrifico Doctoris damnati, ad nostra vsque tempora fixam,

Pvnct. 3. *Causa conuersionis S. Brunonis, ac subitionis in columnam suam.*

fixam, minùs demiror. Eiusmodi verò fortitudinem, à probata & germana ingeniorum fortitudine procul abesse, nullatenus dubito. Nec minùs spuriam duco, quàm eam quæ se ad populum turpiter efferre effrontes aliquos Christianos oratores, putantes se habere ius vitæ ac necis expostulat Politianus [a]. Sicut enim hi, dum volunt fortes videri, sermonis falcem furiosè immittunt quocunque libido tulerit, & cæco impetu succidunt quicquid in eorum sensum incurrit, ita fortes ingenij cæli ac terræ Censores, (quo titulo Erasmum donabat Catharinus.) quidquid ipsis non arridet, quantumuis sacrum, & cana vetustate venerandum, potenti ingenij impotentia submouent, audituri quibusuis cordatis, non fortes reipsa, sed robusti & audaces, quasi Nemrod. Itaque veritas narrationis de causa conuersionis S. Brunonis & fundatæ ab eo Cartusianæ familiæ, rata esto; & contenti sapere ad sobrietatem, non conuellamus traditiones maiorum, nullo præsertim vrgente argumento, quod meritò videri debeat ineluctabile. Id nisi teneamus, & tanquam fixum canonem quem prætergredi non liceat obseruemus, nutabunt (vt iam præmisi, sed inculcari nimium nequit,) nutabunt inquam, aut etiam concident innumeræ de gestis Sanctorum narrationes; circa quas tricari pruriginosus quiuis poterit, structis argumentatiunculis, siue ex adiuncto quopiam minùs

[a] *lib. 4. epist. 6.*

nùs perspicuè expresso, aut cum varietate aliqua exposito apud varios; siue ex silentio plurimorum illius æui Scriptorum. Quod quanto Ecclesiæ ac solidæ pietatis damno esset inuehendum, me tacente res ipsa loquitur.

PVNCTVM IV.

Aëriorum Orientis, veluti ectypon. S. Bruno ac sodales, præ tantis támque inusitatis in sua secessione perpessionibus.

1. QVem *aërij Matyris* titulum Euagrius [a] Sancto Stylitarum Orientalium primicerio adscripsit, eum ego S. Brunoni Occidentalium Stylitatum ductori vendicatum venio, magno, quantum arbitror, cum fundamento. Nemo non videt, vnde petita sit ea Stylitarum Orientalium cognominatio. Vitam namque vixerunt adeò asperam, & tot perpessionum amaritudinibus quasi fellitam, vt mirum esse videatur, potuisse animam in corpore hærere, inter tantas vitæ durissimæ imbonitates; accedatque ad miraculum prorogatio vitæ in tanta inedia, tantisque excruciationibus; ab aëre nunc frigido supra modum, nunc immaniter torrente; à niuibus, à procellis horrificis, iuge periculum deiectionis cum certa membrorum omnium collisione inferentibus. Quid omnium solatio

[a] *lib. 1. Hist. cap. 13.*

solatiorum quæ in vita communi suppetunt, exquisita penuria? Quæ enim solatia affuisse fingere liceat, vbi cubatio quæ veluti naturæ portus est, per loci angustias intercludebatur. Et vitæ per tot cruciatus Martyrio consentienti subita in cælum subuectio, martyribus ex Christi priuilegio repensa, respondit. Stylitas enim morientes, Purgatorij expiatrices flammas æquè esse prætergressos, suadet incruentum eorum martyrium. Et sunt exempla singularia omni fide conscripta, Simeonis Stylitarum Principis, ac iunioris Simeonis, qui fulguritus obiit. De Magno Simeone ita habent Acta S.Auxentij Abbatis apud Metaphrastem 14. Februarij. [Cùm de more in quadam nocturna vigilia ipse intus precaretur, & reliqui foris permanerent, apertâ fenestrâ B. Auxentius, cùm *Benedictus Dominus Deus* ter vehementer dixisset, & suspirasset, & caput in terram inclinasset, dicit. *Quod erat in Oriente luminare, ó filij, Simeon Pater noster dormiuit.* Cùm ij autem propter psalmodiam, non sensissent quod dictum fuerat, valdè flens Beatus, rursus dicit eis: *Sanctus Pater noster, Ecclesiæ columna & firmamentum Simeon requieuit, & nulli culpæ affinis ac munda eius anima, me inutilem & sordibus inquinatum non est dedignata præteriens salutare.*] Paucis post diebus eo nuncio ad Leonem Imperatorem perlato, deprehensum certò est, S. Simeonem ea ipsa hora obiisse, qua B. Auxentio cælum subiens apparuerat.

PVNCT.4. *S.Brun.in sua columna martyrium.*

ruerat. De Simeone Iuniore, Stylita, simile visum obtigit S. Iuliano Stylitæ, qui idcircò misso thymiamate in thuribulum, illicò honorauit abeuntem in cælos Simeonem, vt scribit Ioannes Moschus [a]. Tot ergo cum Martyribus cruentis analogiæ, ad *Martyrum* titulum Stylitis Orientalibus tribuendum videntur fuisse plus satis.

2. Non deficiunt in similiter dissimili, S. Brunonis & sodalium Occidentalis Ecclesiæ Stylitarum vitæ genere, vnde analogia à nobis instituta, hac quoque in parte subsistat, vendicato his quoque *Martyrum* titulo. Ac primùm vniuersè, Religiosa vita, ad decus martyrij, sapientissimorum hominum iudicio visa est sufficere, vt mõstraui in opere de Martyrio [b]. Præiueratq́ue Hieronymus Platus Auctor luculenti operis De bono status Religiosi [c]. Nunc paucos adiicio. S. Columbanus [d]. asperitates vitæ Religiosæ donat nomine *felicitatis martyrij*. Nec dissimiliter Petrus Damiani [e], Philippus Abbas bonæ spei [f], Petrus Blesensis [g], Bracharius [h], & sanctus Dorotheus [i] qui omnes religiosam vitam ad analogicum Martyrium sufficere agnoscunt. Ita vt liceat cum Calliano [k] Religiosos omnes denominare *viuos matyres*: quo pacto S. Victricium nuncupauit S. Paulinus [l]. & Isaacum Sanctus Chrysostomus [m]. Qui item de Diodoro Tarsensi magistro quondam suo, & vitæ monasticæ professore,

[a] *cap.57. Limon.*
[b] *p.1.toto cap.3.*
[c] *lib. 2. cap.12.*
[d] *cap.9. regulæ.*
[e] *serm.1. de Nat. S.Ioãnis, & ser. 1. de Eccl. dedic.*
[f] *ep.14.*
[g] *ser. de S. Lúcia & ser.de S. Vincẽtio.*
[h] *epist.ad Ianuar.*
[i] *2.Expositione sacra n.6.* [k] *collat.18.c.7.* [l] *ep.28.* [m] *orat.de Abrahã.*

feſſore,ſic loquitur apud Facundum[a].Sunt itaque Religioſi, *viui Martyres, & pro Deo crucifixi.* Quod, vt cæteros omittam, Cæſarius[b],illis Apoſtoli verbis ad Galat.5.Expreſſum putat, *qui ſunt Chriſti,carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* In quem locum ſic philoſophatur Cæſarius. [Duplex eſt Religioſorum crucifixio; hominis interioris per alienam compaſſionem, & hominis exterioris per propriam carnis mortificationem. Crux dicitur *à cruciatu.* Crux Monachorum, rigor Ordinis eſt, tum propter vigilias & orationes, tum propter ieiunia & caſtigationes, tum propter ſilentium & opera manuum, tum propter carnis continẽtiam,& veſtimentorum, ſtratique duritiam. Qui autem ſunt Chriſti, qui cum Apoſtolo dicere poſſunt, *Sumus Cruci confixi*, carnem ſuam crucifixerunt, *&c.* Tres claui quibus corpus Monachi, cruci debet eſſe affixum, tres ſunt virtutes, per quas, teſte Hieronymo,Martyres efficiuntur,ſcilicet obedientia,patientia,humilitas. Manum Monachi dextram configat obedientia ſine murmuratione: Siniſtram, patientia ſine ſimulatione. Clauum obedientiæ impellat amor ſupernæ libertatis: clauum patientiæ, timor pœnæ gehennalis: Pedes illius vera humilitas configat, vt non ſolùm Prælatis, ſed & fratribus ſe propter Chriſtum ſubiiciat.] Poterat item non incommodè, confixos pedes interpretari, cohibitam vagandi poteſtatem, qua

[a] *lib. 4. pro tribus Capit.c.2.*

[b] *lib. 8. mirac. cap. 18. & 19.*

Religiosi extra Præsidum nutum spoliantur; cruciatu,si benè res æstimetur, haudquaquam leui,cùm graues Theologi,haud aliter torqueri ab igne Satanam velint, quàm iugi ad eum alligatione,& prohibitione extra eum euagandi.

3. Euincunt ista,Religiosam vitam ei Martyrio æquiparari, quod est in Dei Ecclesia splendidissimum, homine aliquatenus, vt sanctus Augustinus [a] dixit, sanguinem rependente pro Christi sanguine. Quin etiam Religiosam exercitationem, martyrium inferre diuturnius atque adeò durius, & asperius, ratum est apud Patres. Prolata sunt in eam rem varia testimonia, exponendo religiosæ vitæ martyrium, in Tractatione de martyrio [b], Sed illustre præter cætera est, quod Theodorus Studita [c] suppeditat, Vocans religiosam vitam *martyrium longum, protensum per totam vitam.* Et eodem recidit quod S. Hieronymus Eustochium consolans,in matris Paulæ funere, vitam in cœnobio exactam, appellat *quotidianum martyrium.* Quod item habet,inuitans Ruffinum tunc adhuc amicum,ad Cœnobium adeũdum.Concinit Hilarius Arelatensis,collaudans S. Honoratum, cùm eius vitam Lerini in cœnobio actã attingit.Neç non Alexander III. eo diplomate quo S.Bernardo cœlitum honores decreuit.Itẽque Damascenus [d],post descriptum cultũ martyrio cruento debitum.Ac etiã Guerricus[e],hoc (vt appellat) *assiduum martyrium* extollens. Sed planè concinnè Theodoricus S. Trudonis Abbas

[a] *ser. 25. ex 40. nouis.*
[b] *part. 1. cap. 3.*
[c] *catech 10.*
[d] *lib. 4. de fide orth. cap. 16.*
[e] *serm. 1. de Ascẽs.*

Abbas, describens. S. Bauonis exercitationes in cœnobio, quas monstrat tantis asperitatibus fuisse obseptas, vt omnibus Martyrum tormentis singillatim acceptis, responderent; superasse autem diuturnitate, cùm essent quotidianum martyrium.

3. Hæc cùm ita se habeant liquidò patet, cur decus ac nomen *Martyrũ* Stylitis Orientalibus attributum, velim ad S. Brunonem, sodalesque diffundi. Eæ quippè fuêre in editissimis illis montibus quotidianæ horum Sanctorum cruces, à loco, à penuria commodorum propè omnium, à ferè iugi inedia, ab apoche æterna, à vestitus asperitate, à cilicij perenni vsu, à perpetuo in Deum annisu per orationem; vt omnes vulgares religiosæ vitæ cruces, ad perpessiones à sanctis hisce exceptas, non accedant. Attingamus nonnulla distinctiùs.

4. Locum auium & horrentem, describebat his verbis S. Hugo, Antistes Gratianopolitanus, cùm ex diuina reuelatione, illum sanctæ Stationariorũ heptadi attribueret. [Vobis locus diuinitùs assignatus, est eremus quædam in altissimis montibus, quam *Cartusiam* vocant; ampla illa quidem, sed prorsus inculta, atque à nemine habitata, solis feris peruia; hominibus verò & cæteris domesticis animantibus propter loci asperitatem, penè incognita & inaccessa. Altas, & tanquam hinc inde excisas rupes & scopulos, arboresque syluestres & infrugiferas habet; estque supra modum fri-

gida, & magna anni parte niuibus operta. Tum quoque adeò prærupta, ſterilis, & infructuoſa eſt, vt nihil in ea neque ſeri, neque meti poſſit. Ad eam verò, etiam acceſſus & aditus difficilis & periculoſus eſt, propter duas præcelſas rupes, quæ cùm directè in ſublime ſeſe ſubrigant, in ipſo vertice propemodùm coaleſcere videntur, vt introeuntibus & horrori ſint & terrori. In eius medio, fluuiolus eſt qui ex montibus illis collectus, cum ingenti murmure inſtar torrentium, aut aquarum inundantium decurrit. Et vt multa paucis comprehendam, tanta eſt eius eremi aſperitas, & horror tantus, vt carceris cuiuſdam potuis quàm humanæ habitationis nomen mereatur. Nec facile ſanè videtur, vt quiſquam illic abſque ſingulari Dei præpotentis beneficio, habitare, aut certè diu perdurare queat.]Petrus Sutoris [a]. & Stephanus Salazar in præfatione ad ſuam Saluatoris Genealogiam, multi ſunt in hac deſcriptione, quam in his oris ſupplet αὐτοψία.

[a] *l.1.de vit.Cartuſ.tr.2.cap.7.*

5. Eius loci, de quo verè dixeris, *terribilis eſt locus iſte*, editiſſimam & maximè aſperam partem, S. Bruno ad habitandum delegit. Sedes erat frigidiſſima & horridiſſima, ad fontem qui à viri ſancti commoratione, etiamnum *S. Brunonis* appellatur. Incommodior profectò ad habitandum locus, quàm vel quæuis Ægypti teſqua, vel auia Palæſtinæ deſerta. Quod enim S. Hugo eadem ad ſanctam hanc heptadem allocutione rectè æſtimauit, longè

asperiorem,& ad habitandum incommodiorem sedem efficit, perpetuus propè acerrimi frigoris horror in ea statione subeundus, quàm nonnulla in quibusdam Ægypti & Palæstinæ tractibus æstuositas. In ora acerrimis frigoribus horrente, in qua vix vnquam soluitur acris hyems grata vice Veris & Fauoni, casas veriùs quàm cellas extruxerunt, ac principiò, vix casas; cùm intra rupium ac petrarum quæ ibi admodùm præruptè horrent, cauitates quasdam aut hiatus, paucis stipitum longuriis, vel assulis opertos degerent, mole niuium aliquando obruti. Recolo fissuras petrarum, & cui apud Isaiam delecta sit saxorum sublimitas ad habitandum[a], nempe claudenti oculos suos ne videat malum, qui ambulet in iustitiis, & renuat populum impudentem videre. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculis eius, cernent terram de longè.* Recolo volucres cæli ex Psalte, *inter medium montium habitantes, dantes voces de medio petrarum.* Agnosco apud eundem, *montes excelsos ceruis, petram refugium herinaciis* Nec dedisco *ibices in petris, parietes,* (interprete S. Gregorio [b]) inter dura & aspera, imitatione anteriorum Sanctorum, sobolem copiosam bonorum operum. Planè vt sancta Maria Ægyptiaca, de seipsa, ex eodem Iobo philosophabatur apud Sophronium[c], *Non habentes vestimentum, induuntur petra cum se vestimento exspoliaue*

[a] cap. 33.

[b] 30. mor. cap. 17.

[c] cap. 24. iuxta 70.

ſpoliauerint iniquitatis. Cùm cæli inclementia, & niuium immenſitas duratione in illis petrarum fiſſuris prohiberent; deſcenſum eſt tantiſper inferiùs, ad locum à conſtructis circum ædiculam ſacram caſis, denominatum *S. Maria de Caſalibus.* Locus eſt, hodieque magna religione frequentatus: Et propter Sanctorum ibi commorationem ad annum vſque 1133. ne nunc quidem, diuino rore deſtitutus. Nuper certè Paulus Alardus notæ pietatis Laicus, ilium procidentia laborans, adito piè ad leuamen exorandum loco ſancto, ferreum ſubligar quo obligatus aſcenderat, monimentum collatæ ſubitò ſanitatis appendit, regreſſus planè incolumis. Tandem cùm neque ea ſtatio, per cæli ac ſoli rigorem, tuta ad vitæ aliquam prorogationem deprehenſa eſſet, delectus eſt medius totus montium ſedem illam circumcingentium locus; tantillo quidem mitior, & ad hanc diem frequentatus; ſed tamen tanta ipſe quoque cæli inclementia, vt mulcendis incolis & ad durandum animandis, decretum ſit per omnes Ordinis domos anniuerſarium ſacrum, iis omnibus qui per ſexennium de ea ſtatione non decederent, verè terra hæc deuorat habitatores ſuos. Non illa frumentum, non vinum, non poma, edulia vlla progignit. Tantùm ea ora carduorum ſpinis acutis horrentium ferax eſt, à quibus quia *Chartouſſui* vulgò dicuntur, *Cartuſiæ* appellationem nonnemo deduxit: & annuerem ſi *Carduſia* nuncuparetur.

retur. Cùm ſic horreat, decliuior terræ ſeptis montium concluſæ portio, quid ſtatuendum de horrore editiſſimæ partis, quam S. Bruno cum ſociis principiò incoluit, conſtructis rudiſſimo planéque agreſti opere, intra petras caſis, in quibus bini ſimul ſeorſum à cæteris, ne alij alios interturbarent, habitabant, in tanta paupertate & omnigena corporis vexatione, vt ſtuporem inferret?

6. Altiſſimam & ſufficientiſſimam pauperiem eorum fuiſſe, ait Gulielmus Abbas, informans fratres de monte Dei: Paupertatem nominatim præfert, quod Guigo, præfatione ad indictam ſibi ab Innocentio Pontifice ſcriptionem de rebus geſtis S. Hugonis Gratianopolitani, inſcribit ſe *Cartuſienſium pauperum ſeruum.* Apud Petrum Cluniacenſem [a]. Prior Maioreni, quod eſt Cartuſianorum cœnobium, inſcribit ſe, *Priorem pauperum Maioreni.* Perantiquus vſus panes accipiendi mendicato diebus Dominicis ad cœnaculi oſtium, ſanctæ paupertatis exercitium ſpectat. Mentio eſt ſancti illius vſus cap. 9. ſtatutorum, & apud Dorlandum in S.Hugonis Lincolnienſis rebus geſtis, cap. X. ac conſuetudinum Guigonis. §. 10. Nec hodie is vſus exoleuit, ſed ſanctè retinetur. Graphicè eandem virtutum nutricem coniunctim cum ſummis aſperitatibus per ſanctum ſui odium vſurpatis, à S.Brunone ac ſociis, expreſſit teſtis omni exceptione maior. Petrum Cluniacenſem [b] dico, qui elo-

[a] *lib. 6. epiſt. 25.*

[b] *lib. 2. mirac. cap. 28.*

gium inde contexit Sanctis hiſce nouæ eremi accolis luculentiſſimum. Et nominatim, veſtes eorum, ait fuiſſe [viliſſimas ac ſuper omne religionis propoſitum abiectiſſimas, ipſóque viſu horrendas. Quantitate enim breues & anguſtæ; qualitate, ita vt vix aſpici poſſint, hirſutæ & ſordidæ, nullum gloriandi vitium ſe poſſe admittere indicant.] Inferiùs ſubdit, eoſdem [ad edomandum iumentum corporis ſui, & ad ſubigendam legem membrorum ſuorum, repugnantem legi mentis ſuæ, duris carnem ciliciis ſemper exaſperant, continuatis penè acribus ieiuniis corpora affligunt, extenuant & deſiccant. Inde eſt quod pane furfureo ſemper vtuntur; vino adeò adaquato, vt meritò magis *villum* quàm *vinum* dicatur. Ab omni carnium eſu, tam ſani quàm ægri in perpetuum abſtinent. Piſces nunquam emunt, ſed fortè ex charitate datos accipiunt. Die Dominico & quinta feria tantùm, caſeum vel oua ad veſcendum admittunt. Tertia feria ac Sabbatho, aut legumine, aut olere cocto vtuntur. Omni ſecunda, quarta, & ſexta feria, pane ſolo & aqua contenti ſunt. Semel in die ſemper comedunt.] Excipit aliquos primarios feſtos dies, quos ſignat. Papæ! quantus rigor vitæ? quanta auſteritatum grauiſſimarum vbertas?

7. Volo alterum quoque huius æui teſtem producere, imò fortè paulò anteriorem Petro Cluniacenſi; is eſt Guibertus Abbas de Nouingento,

uingento, vulgò *de Nogean*, qui libro de vita ſua, conuerſionem S.Brunonis deſcribens, excurrit in aſperrimam vitam eius ac ſociorum, his verbis, quæ ſubiungit deſcriptioni motiui conuerſionis S. Brunonis ſuperiùs ex eodem recitatæ. [Bruno vrbe deſerta, ſæculo etiam abrenunciare propoſuit: qui ſuorum notitias horrens, ad Gratianopolitanum proceſſit territorium; vbi in arduo & admodùm terribili promontorio, ad quod difficillimum & valdè inſolens iter intenditur, (ſub eo enim præruptiſſimæ vallis vorago dehiſcit,) habitare deligens, huiuſmodi mores inſtituit, & ſequaces eius hodie ſic viuunt. Eccleſia ibi eſt non longè à crepidine montis, paulò ſinuatum deuexum iter habens, in qua tredecim ſunt Monachi; clauſtrum quidem ſatis idoneum pro cœnobiali conſuetudine habentes, ſed non clauſtraliter (vt cæteri,) cohabitantes. Habent quippè ſinguli cellulas per gyrum clauſtri proprias, in quibus operantur, dormiunt, & veſcuntur. Dominica à diſpenſatore eſcas, panem ſcilicet & legumina accipiunt: quod vnicum pulmenti genus, à quocunque eorum apud ſe coquitur. Aquam autem, tam hauſtui, quàm reliquo vſui, ex ductu fontis qui omnium obambit cellulas, & ſingulorum per certa foramina ædiculis influit, habent. Piſce & caſeo, Dominicis & valdè feſtis diebus vtuntur. Piſce dixerim, non quem ſibi ipſi emerunt, ſed quem bonorum aliquorum virorum largitione ſuſceperint.

perint. Aurum, argentum, in ornamenta Eccleſiæ à nemine, nihil enim ibi præter calicem argenteum. Ad eandem Eccleſiam, non horis ſolitis ſicut nos, ſed certis conueniunt. Miſſas (niſi fallor,) Dominica & ſolemnibus audiunt. Nuſquam penè loquuntur. Nam ſi quid peti neceſſe eſt, ſigno exigitur. Vinum ſiquando bibunt, adeò corruptum eſt, vt nihil virium, nihil penè ſaporis vtētibus afferat, vixq́ue communi ſit vnda præſtantius. Ciliciis veſtiuntur ad nudum, cæterarum veſtium multa tenuitas. Sub Priore agunt. Vices autem Abbatis, aut Prouiſoris, Gratianopolitanus Epiſcopus vir plurimùm religioſus exequitur. Cùm in omnimoda paupertate ſe deprimant, ditiſſimam tamen Bibliothecam congerunt. Quo enim minùs panis huius materialis copia exuberant, tanto magis illo, qui non perit, ſed in æternum permanet cibo, operosè inſudant. In tantùm, inquam, ſuæ ſunt cuſtodes inopiæ, vt hoc ipſo quo agimus anno, Niuernenſis Comes vir omnino religioſus & potens, eos ex cauſa deuotionis, & optimæ quæ hinc emanat opinionis inuiſerit, multumq́ue ſuper ſæculari eos cupiditate, vt cauerent, inde monuerit. Cumq́ue regreſſus ad ſua, eorum indigentiæ quam viderat, meminiſſet, & monitorum quæ eis intulerat, nequaquam memor eſſet, neſcio quæ argentea, ſcyphos videlicet & ſcucras pretij plurimi, eis miſit. Sed eorum quæ dixerat, illos nequaquam obliuioſos inuenit.

Com

Communicato mox consilio, quæcumque direxerat;ad integrum refutata recepit. Nos (inquiunt,) neque in expensis nostris, neque in Ecclesiæ ornamentis, exterarum quippiam pecuniarum retinere deligimus, & si in horum altero non expenditur,vt quid à nobis suscipitur? Puduit itaque præuaricatoriæ cõtra suum sermonem oblationis Comitem, & tamen dissimulata aspernatione; bonum tergum & purgamenta plurima retransmisit, quæ penè ineuitabiliter ipsis necessaria esse cognouit. Vocatur autem locus ille *Cartusia*, in quo terra, rei frumentariæ causa parum ab eis colitur; verùm velleribus ouium suarum quas plurimas nutriunt,qualescunque suis vsibus fruges comparare soliti sunt. Sunt autem infra montem illum habitacula, laïcos vicenarium numerum non excedentes, fidelissimos, retinentia, qui sub eorum agunt diligentia. Hi igitur tanto cœptæ contemplationis feruore feruntur, vt nulla temporis longitudine à sua institutione desistant, nec arduæ illius conuersationis diuturnitate tepescant.] Hæc præter cætera ibi de S. Brunone sociisque Guibertus, consentaneè ad ea quæ in primæuis Cartusiæ consuetudinibus, à Guigone [a] quinto Generali collectis, traduntur, nonnullis præsertim earum consuetudinum textibus,hîc annotatis,ac ferè per omnia capita.

[a] *cap.* 28. 32. 40. 41.78.

8. Quod autem & Petrus & Guibertus,inter cæteras Cartusianorum imbonitates, vsum cilicio

ciliciorum recensent, paulò indistinctiùs dictum est. Neque enim ciliciis vtebantur ex eorum numero in quibus munditiem quæsitam stultitiæ damnabat S. Hilarion, sed asperrimis atque durissimis. Coniectura fiat ex iis quæ de cilicio Ioannis Birelli, tanto post Cartusiæ moderatoris, prodita sunt; cùm Lemouicensis ciuitas, huius ciuis sui reculam quampiam, post eius felicem obitum publico nomine expetiisset, monimentum pietatis ac religionis eximiæ tanti viri, Scribunt enim transmissum ad eam esse vnum è ciliciis quibus in vita vtebatur Birellus, quod è pilo hirsutissimo contextum erat, & plerisque nodis asperatum, vndique clausum instar subuculæ manicisque instructum ad poplites vsque protendebatur. Hac lorica ad nudam carnem perpetuò septus Birellius, corpus suum contra spiritualia nequitiæ bellans muniebat. Quid fecisse primos illos Cartusianos verisimile est, cùm omnia sancto odio aduersùs seipsos horrerent, nihilque aliud cogitare viderentur, quàm vt in subigenda carne fortes se ac ingeniosos variis excogitatis eius cruciandæ rationibus præstarent; quando tantò pòst, cùm progressus solent esse mitiores, ea duritia in ipso Ordinis capite viguit? Nolo huc aduocare Lanspergium, referente ex idoneis testibus Petreio, qui ferrea lorica pro cilicio vsus est. Hoc prætereo, ne rem singularem producere videar in exemplum. Vtebantur ergo primi illi Cartusiani cili-

ciis

ciis aſperrimis, nec ſuam contundendæ carnis ſolertiam, medij tam idonei vſurpatione carere ſunt paſſi.

9. Quicquid ſit de vocis originatione primæua, quis neget ad veritatem dixiſſe eum, qui *Cartuſiæ* nomen à *carne tuſa & macerata* dictum videri, affirmauit? Primæuam hanc fuiſſe originationem huius vocis, aſſerere non auſim, qui ſciam, ante appulſos illuc S.Brunonem ac ſocios, id iam fuiſſe loco nomen, vt liquet ex cap. 9. & 10. Actorum S. Brunonis. Niſi ſi poſt Sanctorum illic habitationem, & exceptas illic ab eis macerationes & contuſiones corporis, contigit inditam tunc appellationem, retrotrahi ad tempus priuſquàm à Sanctis incoleretur, ſiquando de anteriori illo tempore incideret ſermo. Nam ipſa quoque Scriptura plerumque nomina locorum deſumit à poſterioribus euentibus, vt fusè proſequitur. S. Chryſoſtomus [a]. Quamuis igitur notatio nominis *Cartuſiæ*, à *carne tuſa & macerata*, videri poſſit incerta; tamen notationi illi ſubiecta notio, perſpicuè eſt ad veritatem. Quadrat ſanè multo magis, quàm illa alia pro qua ſatagit Petrus Sutoris [b]. deriuans *Cartuſiæ* vocabulum, à duplici Hebraïca voce, quarum altera *Cartus*, iuxta S. Hieronymum *perfectam vocationem* ſonet; altera, hoc eſt *ia*, Deum deſignet; ita vt ſenſus ſit, Cartuſiam eſſe perfectam vocationem Dei. In qua vocis *Cartuſia* originatione diſcutienda non hæreo, cùm

[a] *hom. 7. addititia in Geneſ.*
[b] *lib. 1. de vita Cartuſ. tr. 4. c. 2.*

cùm per se liqueat, eam nec Hebraïcis Lexicis, nec primis vocabuli illius impositoribus congruere; & extimo vocis cortici aptiùs concinere illam aliam Petro Sutoris improbatam, de macerata & contusa carne, per tantam horridæ sedis asperitatem.

10. Haud iniuria itaque, *Martyrum* nomen ac decus, Orientalibus Stylitis tributum, ad hos nostros diffundebam præ insigni duritie qua carnem suam conduxerunt, longo se martyrio discruciantes, per tam diuturnam in sede adeò inhospitali commorationem, & tot asperitates vbiuis alibi ex instituti legibus excipiédas; absque vlla ab extrinsecis oblectamentis, quantũuis labe vacantibus temperatione; ita vt ne Musica quidem instrumenta vel publicè, vel priuatim habere liceat, nullusque ibi audiatur vnquam concentus Musicus, nisi Angelorum, aut qualem ex diuinæ legis adimpletione existere longè suauissimum, docet S. Augustinus[a], vel qualem, iuxta eundem[b], excitat charitas in Deum. Absunt amicorum dulces affatus; desunt auiariorum deliciæ; ignoratur venatio & aucupium, liberæ ad quæ libuerit loca vagationes negantur; omnium denique carni extra necessitatem abblandientium exilium adest. Iodocus Marchio Brandeburgensis, anno 1406. eo diplomate quo Olomuciensem Cartusiam constituit; verbum aude , sed tamen verum, in hanc rem protulit. Cùm enim dixisset, se Ordines omnes Religiosos

[a] *ad psal. 32. conc. 2.*
[b] *lib. 6. de musica. c. 14.*

circum

PVNCT.4. *S.Brun.in sua columna martyrium.*

circumspexisse, subiungit. [Inter horum verò cœtum deuotissimum, strictiorem vitam ducentes fratres Cartusienses animaduertimus, quorum esui caro abominabilis, cogit singulos professores, mundi delicias cum corporalibus voluptatibus, vltra (sicut opinamur,) humanam patientiam, spe saluifica penitus refutare.] Quid corrugat frontem ad hæc verba pruriginosus Censor? Nihil hîc non verum. Perpessiones Cartusianæ, planè sunt vltra humanam patientiam; quamuis non vltra eam quam Spiritus sanctus suis pugilibus de cælo aspirat. Et verò, martyrij tolerantia, non est naturæ fragilis opus, vt suo loco demonstro [a]. At Cartusiæ perpessiones martyrio affines esse, iampridem vrgeo. Et quod martyrij duritiem cumulat, eò acerbius est illorum martyrium, quò diuturnius, & tam vario tamque multiplici carnis tormento ad vitam vniuersam, plerumque annis non paucis diffusam, hominem excruciat. Quis credat, naturæ solius per gratiam non roboratæ patientia, hominem tesqua Cartusiæ non deserentem vltra annos sexaginta perstitisse? Fecit id Iancelinus vir sanctissimus, qui per annos sexaginta, maiori Cartusiæ præfuit: Antonius Balasque, per annos quatuor supra quadraginta, nunquam digressus, nec cœnobij limina prætergressus, hæsit in Parisiensi Vallis viridis Cartusia, nostra ferè memoria. Eum terminum commorationis nunquam mutatæ, imò

[a] *in opere de martyr. p.2. c.3. n.19. & seqq.*

H pedum,

pedum nunquam extra limen domus elatorum, transiliuit Dionysius Rousseau, qui 1599. Desiit hîc viuere, moratus in ea eremo solidos annos quinquaginta. Audiant Sarabaïtæ, gyrouagi, vrbici eremitæ, vt Petrus Damiani scitè lusit.

PVNCTVM V.

Collatio exercitiorum pietatis apud vtrosque Stylitas.

1. CORPORALIS *exercitatio*, iudice Apostolo[a], *ad modicum prodest, pietas verò ad omnia vtilis est.* Vocat exercitationem corporalem, carnis subactionem per ieiunia, vestis asperitatem, deliciarum omnium eiurationem, & varia corporis afflictamenta. Ita enim Apostolum accepit S. Bernardus[b], & consentiunt S. Nilus, Maximus, atque Philotheus, adducti à Turriano[c], quatenus docent, virtutes corporales, (sic nominant virtutes, quarum actus & functio est in corpore, cui domando & macerando dant operam,) ad modicum vtiles esse, quia facilè impediri possunt per morbum, aliosúe obices; & post hanc vitam quæ modicum quid est, non habebunt locum, quanto maximè vigebit pietas diuino cultui ac venerationi addicta. Quia ergo proximè exercitationem corporalem Orientalium

&

[a] 1. *Tim.* 4.

[b] *in Apolog. ad Guliel mũ Abbatem.*

[c] *l. 5. contra Magdeb. c. 6.*

& Occidentalium Stationariorum contulimus, attingenda est pietatis in vtrisque comparatio.

2. Fuit sanè pietas in Stylitis Orientalibus prorsus eximia. Nihil enim aliud animo versabant, quàm Deum & eius cultum assiduum, S. Simeonis Stylitarum antesignani pietatem omnino insignem, Theodoretus [a] inde confirmat, quòd cùm vnus quispiam ex ipsius Theodoreti sociis, aggressus esset numerare adorationes à Simeone Deo exhibitas, intra tempus modicum numerauit mille ducentas & quatuor supra quadraginta: adactúsque est vlteriore numeratione absistere, quod multiplicitas errorem ei induxisset in numerum; plusque ipse recensendo, quàm vir Sanctus operando fatigaretur. Non dispar colendi assiduè Numinis studium, S. Brunoni sociisque insedit; eóque alacrior & vegetior cælum subibat eorum pietas, quod partem obsequij Deo in communi cœtu exhibentes, veluti sancta Cherubin alas suas percutientia, séque inuicem ad collaudandum Numen factis incendentia, eo ardore excitabantur in Deum viuum, qui ignes sanctorum cælitum æmularetur. Petrus Cluniacensis [b] hæc pietatis studia, in primis Carthusianis ita describit [Ad vesperas & Matutinas, in Ecclesiam cuncti cõueniunt, ibíque nõ perfunctoriè vt quidã, sed intentissimè, oculis in terram demissis, cordibus cælo infixis, Deo preces, Deo gratiarum actiones persol-

[a] *c. 26. relig. histor.*

[b] *lib. 2. mirac. c. 28.*

 uunt;

uunt; totumque suum, tam interiorem quàm exteriorem hominem, habitu, voce, vultu, rebus visibilia excedentibus, spretis cunctis aliis, intentum, imò affixum esse ostendunt.] Vsurpabo hîc meritissimò, illas in simili, D. Augustini voces [a]. [Hos mores, hanc vitam, hunc Ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque dignè valeo, & vereor ne indicare videar per seipsum tantummodò expositum, placere non posse, si super narratoris simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.]

[a] *lib. de moribus Eccles. c. 31.*

5. Itaque vigebant, & magna accuratione obibantur inter primos Cartusianos officia pietatis. Tantùm infigere scrupulum potest, quod habet Guibertus de Nouigento suprà adductus, & ibidem memorat Petrus, de Missæ sacro apud eos parciùs celebrato. Ait enim non esse apud eos litatum diuina hostia, nisi diebus Dominicis, & aliquot Christi, ac Sanctorum solemnioribus festis. Nimirum in Natali Domini, & Paschate, & Pentecoste, & octiduo proximè hæc festa subsequente. Necnon in Epiphania, & Ascensione Christi, ac in Natiuitate, Purificatione, & Assumptione Deiparæ: Itemque in Annunciatione, si in Paschale tempus incideret. Præthereà in festo S. Ioannis Baptistæ, & 12. Apostolorum, ac S. Michaëlis, & S. Martini, & in solemnitate Sanctorum omnium, quorum adunatæ celebritati addictæ sunt Calendæ Nouembris. E his tantùm

tantùm diebus (inquit Petrus de primis Cartusianis), antiquorum Eremitarum æmulatione, ne ab aliis sacris operibus, licèt dignitate inferioribus, impediantur, salutare Omnipotenti Deo pro salute sua ac mundi, sacrificium offerunt; quod ex vsu iam veteri tracto nomine: quia Deo mittitur *Missa.* vocatur.] Non tenuit is vsus tam infrequenter celebrandi, in primis dumtaxat Cartusiæ initiis, (cùm vnus inter eos erat sacerdos Hugo, quem idcirco Acta S. Brunonis [a], testantur dictum *Capellanum*) sed posteà quoque. Nam Alexander monachus, referente Blesensi [b], vacillans in suscepto Cartusiensium instituto, causatur infrequentem sacri celebrationem, atque adeò etiam infrequentiorem diuini cibi vsurpationem. At Eucharistiam magnum esse pietatis sacramentum, Apostolus [c] docet, vt Blesensis dicta Epistola agnoscit & confirmant alij, prolati in Onomastico Eucharistico. Quomodò ergo commendamus à pietate S. Brunonem ac socios, apud quos præcellentissima pietatis functio adeò infrequens erat?

[a] *cap.4.*
[b] *ep.86.*
[c] *1. Tim. 3.*

4. Non adscribor sanè Petro Cluniacensi, circa causam quam profert, cur ea infrequentia sacrorum mysteriorum, in Cartusia primis illis initiis vigeret. Ait enim Petrus, ne impedirentur ab aliis sacris operibus, infrequentiorem apud eos fuisse sacrificij incruenti celebrationem, & vsurpationem sacramentorum. Hoc non admitto: quæ enim forent ea sacra

opera, tam augusto, tam Numini & beatis cælitibus accepto, tam mortalibus vtili sacrificio, anteferenda? Dabant equidem primi illi Cartusiæ habitatores, Petro ipso referente, aliquid temporis operi manuum: ac nominatim ait exscribendis codicibus incubuisse: quod genus operæ, Monachos ante excogitatam calcographiam frequentasse certum est, laudantibus effusè Gersone atque Trithemio iustis de eo argumento lucubrationibus. Nec grauatè dabo, aliquos quantum ferebat loci conditio, imitatione antiquorum Eremitarum, cuipiam opificio nauasse operam. Vt terram excolerent, (quod fecisse Cistercienses refert & celebrat Stephanus Tornacensis) Cartusiani soli inferacitas non ferebat, vnáque omnis alia in fruges opera intercludebatur; ita vt varij illi labores à quorum succedaneo recursu, diuinam prouidentiam mortalium vsui consulentem, celebrat Isidor. Pelus. [a] septis Cartusiæ excluderentur: tametsi non pauci olim Ascetæ, id genus laborum vsurpabant. Ac ne Beati quidem Equitij fœnisecium, tulisse videtur, horrens tunc vndique Cartusiæ facies. Et vt per soli conditionem licuisset in huiusmodi labores incumbere, quid ea opera omnia, ad opus omnium in terris summum, sacrificandi Christum ipsum? Quare alia apud Occidētales hosce Stylitas infrequentis sacrificij causa fuit, quàm quæ à Petro Cluniacensi adducebatur.

5. Eam ego causam repetendam duxerim, ex

[a] *lib.* 3. *epist.* 70.

ritè

ritè perſpecta tanti ſacrificij dignitate, quam qui ſuis momentis æſtimabit, ægrè adducetur, vt vel intra longum tempus, idoneum ſe arbitretur ad ſubeundum in ſacram menſam, peragendi diuini ſacrificij gratia. [Teſte Ambroſio [a], (ait Bleſenſis purgans in hac rè Cartuſianos,) nunquam niſi puro corde, & mundis manibus, & contritione deuota, offerenda eſt hoſtia in qua eſt ſalus mundi. Tua verò ſententia eſt, vt tibi Chriſtum incorpores ſingulis diebus, non diiudicans corpus Domini. Propter hoc multi imbecilles, dormiunt in peccatis. Verbum ſapientis eſt, *cùm ſederis ad menſam diuitis, appone cultrum gutturi tuo*: vt inter cæleſtes cibos, & laicos ſiue communes, deuota veneratione diſcernas. Vide ne Dominus dicat de te. *Ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.* Et illud, *dederunt in eſcam meam fel.* Prohibet ſiquidem Dominus, ne de Agno Paſchali comedat aduena vel immundus. Nec ponendus eſt Chriſtus niſi in ſindone munda, & in monumento nouo; quia panis vitæ non eſt recipiendus niſi conſcientia munda & corde ſyncero. Hoſtia enim indignè accepta ſuſcipientem damnat, non ſaluat; inquinat, non mundat. Propheta enim dicit, *Quid eſt quòd dilectus meus facit in domo mea ſcelera multa? Nunquid carnes ſanctæ auferent malitias eius in quibus gloriatus eſt?* Et alibi. *Tu qui credis mundari per hoſtias, ſcito quòd non mundaberis, ſed ampliùs pollueris.*]

[a] ep. illa 86.

6. Hoc igitur eſt, quod extimeſcentes S. Bruno & ſocij, infrequentiùs, diuino ſacrificio dabant operam. Et præiuerant eadem ex cauſa ſancti plerique priſci Aſcetæ: qui indignitatem accedendi ad altare ſacrificandi gratia, vel inquinationis periculum ex eo munere, nequaquam metiebantur ſola malignitate lethalis culpæ. Nam vel ipſe frigens acceſſus ad diuinam menſam, & minùs reuerens tanti hoſpitis exceptio, labe non vacat. Quia verò bonarum & humilium mentium eſt, nunquam ſe ſatis ad tanta myſteria comparatos arbitrari, & adhibitas à ſe aptationes depretiare; idcircò plerique Sanctorum, & in his Stylitæ noſtri, à quotidiano diuini ſacrificij vſu refugerunt; ſatius eſſe rati, infrequentiùs, ſed feruentiùs digniuſque accedere ad altare Dei, quàm quotidiana frequentatione periculum ſubire tepiditatis; vnde diuini illius operis iuſto minor æſtimatio, & cæleſtis epuli nauſea Deum exacerbans, procliuiſſimè conſequitur. Non aliam planè fuiſſe hac in parte mentem tantorum Dei ſeruorum, inde perſpici poteſt, quòd illi ipſi Alexandro, qui primis Cartuſiæ ferè rudimentis, pro quotidiana ſacrificatione ſollicitus erat, indultum eſt, vt quando ſe ſatis ad quotidianam litationem comparatum arbitrabatur, ſacrificaret ſanè quotidie, vt Petrus Bleſenſis [a] teſtatur. In quam etiam Epiſtolam Ioannes Buſæus affirmat idem inſinuari in tertia parte veterum Ordinis Statutorum [b]. Quinimo in

[a] ep. 86.
[b] cap. 1.

Statutis

Statutis nouæ collectionis [a], omnes ſacerdotes inuitantur & piè vrgentur, ad quotidie confitendum de peccatis, ſubiungendumque accuratæ expiationi conſcientiæ quotidianum ſacrificium; iſque vſus, vt in Ordine iam olim vſurpatus, comprobatur.

[a] p. 2. c. 7.

7. Itaque habet hîc proportione locum, quòd circa dignitatum Eccleſiaſticarum admiſſionem, variè à variis ex ſpiritu Dei ſeruatum obſeruauit Rupertus in S. Heriberti rebus geſtis. Plerique enim ſancti viri, æſtimantes ſuas vires, nec ſe ſatis validos ad onus Angelicis humeris formidandum arbitrati, abhorruerunt ab eo munere quod alij delatum cum humilitate admiſerunt, fidentes in Domini bonitate, quod qui ipſos ad eam curam vocaſſet, vires ad eam congruè obeundam benignè eſſet ſubminiſtraturus. Vtrique piè, vtrique ex Dei ſpiritu, qui variis illis viis, gloriæ ſuæ ac bono noſtro velificatur. Similiter igitur, & qui præ humilitate infrequentiùs celebrat, labis eſt expers. Et qui adhibita conuenienti diſpoſitione quotidie litat diuina hoſtia, meritò commendatur. Dictum in hanc rem copiosè in heteroclitis ſpiritibus[b]. Ex quibus perſpicuum eſt, collaudatæ meritò S. Brunonis atque ſodalium pietati, nihil ex hoc capite decedere.

[b] p. 2. ſectio 1. punct. 1.

PVNCTVM VI.

Seclusio fœminei sexus à Cartusiæ septis imitatione Stylitarum.

1. QVod Puncto I. obseruauimus, non admittebantur ad Stylitarum Orientalium columnam, mulieres; sed extra septa columnam circumcludentia hærebant, vt Nicephorus [a]. disertè prodit. Hoc S. Bruno, à primis initiis arripuit. Et in eum finem, S. Hugo Gratianopolitanus Antistes, cùm beatam hanc heptadem in Cartusiam induceret, recepit se ad pontem fluuio Suerio impositum, vbi aditus per duas rupes modicè abiunctas ad Cartusiæ montem patet, ædificaturum domunculam, in qua excubitores arcendis mulieribus residerent; quod tunc occœptum hodiéque retinetur; ita vt nulla mulier subire Cartusiam permittatur, extra infrequentissimos euentus, in quibus edicti laxationem Reginarum curiositas, interposita supréma in Ecclesia Dei auctoritate, extorsit.

[a] l.14. c.51.

2. Nisi huiusmodi ineluctabilis necessitas adegerit, admitti in Cartusiam, ac ne in templum quidem, mulieres, fuit ab initio inauditum; firmauítque Iulius II. gemino diplomate anno 1506. & 1508. & constantissimè hodiéque retinetur; non odio sexus, qui genuit Saluatorem, vt mulier Eleutheropolitana

S.Hilarioni

S. Hilarioni piè obiecit, & egregiè perpenſum eſt à S. Hugone Lincolnienſi, vt habent eius Acta [a], ſed grauiſſimis de cauſis, quas. S. Bruno vſu & exemplis Sanctorũ nominatimque Stylitarum Orientalium admonitus, ritè peruaſit. [a] b. 13.

3. Primaria & maximè protrita huiuſmodi vſus apud Patres ratio, à Nazianzeno his verbis proponitur, in ſententiis carmine comprehenſis.

Difficile eſt carnibus bellũ propè exiſtentibus.
Quare à fœminis, ô Monachi, longè abeſte,
Quarũ aſpectu anima polluitur, ſemen trahens.
Ignis propè paleam, res non tuta.

4. Placuit ea comparatio S. Baſilio [b]. Conteſtatur enim Monachos, vt non ſecus à mulierum conſpectu caueant, quàm ab igne: eo quod vel ſolus earum contuitus, connatum nobis ignem incendat, eaſque excitet cogitationes, & motuum tumultus, quibus neceſſe ſit vniuerſim animæ regnum agitari atque euerti. Ea nimirum eſt natiua viri ad mulierem tãquam ad alterum dimidium ab eo auulſum procliuitas, iuxta Platonis apologum à D. Baſilio initio libri de vera virginitate, vbi de hac proportione egregiè diſſerit, vſurpatum; vt non promptiùs fomes admoto igne flammam concipiat, quàm vir ex mulieris conſpectu incenſus in flammas impuras abeat. Non minùs appoſita eſt cõparatio, adhibita à pio ſene apud Moſchum: admonebat enim, ſalem ex aqua extitiſſe, & tamen ſi aquæ immittatur, ſolui, dulceſque latices

[b] cap. 4. conſt. Monaſt.

c. 217. Limonarij.

latices ſua amaritudine inficere. Similiter enim Monachus, etiamſi ex muliere eſt, tamen improuido mulieris contuitu ſolutus, diffluit ac euaneſcit. Vir ſapientiſſimus & teſtatiſſimæ ſanctitatis. Iordanus Ordinis Prædicatorum Magiſter, cùm in hanc ſententiam diſputaret, ac perniciosam eſſe religioſis hominibus ſexus mollioris frequentationem aſſereret, aliam ſanè optimam adhibuit comparationem: Cuidam namque eam mulieris piæ frequentationem tegere tentanti; allegata eius pietate, vt erat ſanctè facetus & ſalſus,reſpondit,[Pluuia bona eſt,& bona terra; & tamen ex eorum commixtione fit lutum, quo homo conſpurcatur.]

5. Vt autem deeſſet pudicitiæ, rei profectò tenerrimæ, & minimo negotio fuſcabilis, per muliebrem conſpectum temeratio; eſt præterea cur mulierum contuitus refugiendus meritò ſit, homini conſuetudinem cum Deo adamanti. Ad eam quippè neceſſaria eſt mentis purgatio à fæcibus vanitatum, & inſaniarum falſarum ſæculi, quæ à Deo auertunt, & mundano cœno oblitos, ad ima demergunt. At fieri vix poteſt, quin ex conſpectu mulierum ingeratur ea pietatis oblæſio. Eſt enim genus fœmineum φιλόκοσμον. & nimium quantum, terrenæ fæculentiæ ac immundi mundi limo addictum, vt Tertullianus ſæpè expoſtulat, & nemo non videt. Quomodò ergo non ſibi intellectum obnubilet, & ad contuitum

tuitum Dei ineptum reddat, qui luto illo mundi muliebris, quo fœminæ ſordere veriùs quàm nitere ſemper ſatagunt, oculos paucrit? Quomodò affectum fortem, Deo integrum ſeruet, qui etiamſi illecebroſis mulierum affatibus non fuerit emollitus, tamen oculis hauſerit virulentiam longè nocẽtiorem, quàm quæ baſiliſci contuitu inhalatur? An hanc maximè ob cauſam, profana cenſentur loca quæ mulieribus frequentare fas eſt? Adyta templorum Chriſtianorum, & hierophylacia ex Pij V. decreto, mulieribus patere non debent. Etiam apud Gentiles idololatras, perſuaſum erat, locum eſſe profanum, & ſanctitudinem exuere, quem adirent mulieres. Nam ex ea perſuaſione Gazenſes, cùm templum magnificentiſſimum Marnæ diſiectum eſſet, labore & ſtudio flagrantiſſimo S. Porphyrij, marmora ſacra quæ in loco inacceſſo maximè mulieribus erant, ingenti Gazenſium Idololatrarum cordolio, in platea ante ſacram ædem, recèns diruto Marna, ædificatam ſunt collocata: vt non ſolùm à viris, ſed etiam à mulieribus, nec non à porcis & beſtiis calcari poſſent. Quod acerbius fuiſſe Idololatris ipſa templi Marnæ conflagratione, ſcribit Marcus S. Porphyrij miniſter, in eius Actis: additque complures ex Idololatris, ſed mulieres maximè quo tempore ipſe hæc ſcribebat, anxiè deuitaſſe, marmorum illorum quæ pro ſacris habebant, calcationem.

Apud

Apud Silium item Italicum, Punicorum 3, cùm de Annibalis Sagunthо deuictа, ſubitione in templum Herculis Gaditani, de quo mira præmittit, aſſeritur, [*queis fas & honos, adyti penetralia noſſe, fœmineos greſſus prohibere.*]

6. Perſpecta iſta habentes quotquot fuêre probati ſpiritus magiſtri, ſeueriſſimè edixerunt, ne quis ſeu Clericus, ſeu Monachus, diuinæ familiaritatis captator, muliebri conſpectu lubens volens frueretur; néue ad eas domum ventitaret, aut ad ſe accedentes admitteret. Sic S. Hieronymus Nepotianum admonebat, ne hoſpitiolum ſuum teri mulierum veſtigiis pateretur. S. Hugo Gratianopolitanus Epiſcopus, & ipſe abſtinentiſſimus erat contuitionis, ac alloquij fœminei ſexus extra grauem cauſam; id quod ſubiectis inſignibus circumſpectionis eius exemplis, confirmat Guigo Cartuſianus, Scriptor Actorum eius: & valido inſuper argumento aſtruebat neceſſitatem coërcendi viſus à conſpectu mulierum; quòd affectus per conſpectum facilè transfundantur, quandoquidem vna quoque conſpecta liuorem ducit ab vna. S. Hugo Lincolnienſis [a], quaſcunque conſpiceret fœminas, illico abs ſe corio nudari, iocabatur. Significabat ſolam ſibi fœminarum interiorem pulchritudinem, quæ intus in anima continetur, nec in oculos corporis incurrit, acceptam eſſe.

[a] *Dorlãd. lib. 2. Chron. c XI.*

7. Tanta, hac in parte, religione tactum eſt

Conci

Concilium Meldenſe [a], vt ne ipſos quidem Reges, ſi quando per itineris occaſionem in Epiſcopia diuertant, mulieres illuc inducere ſiuerit: idque improbandum cenſuerit, hac ſanctione. [Suggerendum eſt, & ex diuino mandato intimandum Regiæ dignitati, vt Epiſcopium quod *domus Epiſcopi* appellatur, qualiſcumque ſit in oculis Domini Epiſcopus, ipſe tamen à Rege Regum Rex conſtitutus, pro ſanctitate Ordinis Epiſcopalis, ſicut S.Gregorius ad Fortunatum docet Epiſcopum, venerabiliter ac reuerenter introeat. Et ſecundùm ſanctam prædeceſſorum conſuetudinem, quando orationis & debitæ ſuſceptionis gratia in tranſitu conuenienti ciuitatem ingreſſus fuerit, habitaculis Epiſcopalibus reuerenter inhabitet: & non diuerſoria fœminarum magnificentia ſua & religio venerabilis, ibidem fieri permittat, quia ſi ſecundùm leges Canonicas, in manſiones Clericorum introïtus fœminarum prohibentur, quanto magis domus Epiſcopi ab huiuſmodi inhabitatione & conuerſatione, etiam & à legitimo connubio coniugatorum, debet immunis eſſe & aliena.]

[a] c.26.

8. Æternet memoria optimi Antiſtitis Ioannis Auberti de Barrault, Arelatenſium Archiepiſcopi; non magis hæreſeos inſignibus voluminibus profligatæ, quàm ſanctorum exemplorum ſplendore illuſtriſſimi, in eius palatium nulli planè fœminæ quantumuis nobili, aditus patebat: ſed ſi cui mulieri neceſſitas

tas erat alloquendi Antiſtitem, ipſe in continentem Eccleſiam concedens, fœmineis alloquiis dabat operam, domi nunquam.

9. Quantò exquiſitiorem par eſt eſſe ſenſuum in Monachis ac Religioſis cuſtodiam, quàm in Clericis, tantò arctior ab eis ſemper ſeruata eſt hac in parte diſciplina: proindeque perpetuum illis iam olim fuit, mulieres nec intra ſepta ſua admittere, nec libero & irretorto viſu conſpicere. S. Pachomium, vt eſt in eius Actis [a]. Vrgebat quidam, vt filiam ſuam à malo Dæmone infeſſam curaret, iuſſit S.Pachomius renunciari, & per Oſtiarium, abhorrere à Monachorum conſuetudine, mulieres admittere in ſuum conſpectum. Itaque ſi quid ex puellæ veſtimentis ad ſe mitteretur, impenſurum benedictionem, & ſperare conſecuturam puellæ ſoſpitatem. Nec Deus ſerui ſui ſpem caſſam eſſe ſuſtinuit. At Paulus Abbas apud Caſſianum [b], ne veſtes quidem muliebres, ſuo conſpectui patiebatur offerri. Et cùm aliquando progredienti ad cellam cuiuſdam ſenioris, fortuitò obuia facta eſſet mulier, non ſecus ab inito itinere reſiluit, quàm ſi draco immaniſſimus, aut leo horrendum rugiens, viam occupaſſet infeſtus. Ioannes Abbas vrbis Lyco, vir ſanctiſſimus, quem Theodoſius Magnus eximiè coluit, fœmineam faciem per annos quadraginta non vidit. Tantùm abeſt vt mulieres domunculam ſuam ſubire pateretur, teſte Palladio [c]. Et cùm veniſſet

[a] *c.36.*

[b] *collat. 7.c.26.*

[c] *c.43. Lauſia.*

ad

ad eum Tribunus, rogatum vt vxorem ſuam mox receſſuram, venire in eius conſpectum annueret, homo iam nonagenarius, venire ad ſe mulierem præcisè negauit, vt ſcribit D. Auguſtinus [a]. Inſtanti tamen, & per maritum moleſtiam indefeſsè ingerenti, ſpopondit fore, vt largiente Deo, conſpectu optato in ſomno frueretur. Virgo Romana & opibus & dignitate præcellens, vt Arſenium in Ægypto latitantem videret, laborem adeò prolixi itineris deuorauit. At Arſenius monaſtici propoſiti tenax, ne vrgente quidem Theophilo Alexandrino, qui flexurus Arſenium de induſtria præiuerat, admittere virginem in conſpectum ſuum voluit; & cùm muliebris obfirmatio, nihil minùs cogitantem Arſenium, foriſque inambulantem fortè occupaſſet, liberaliter verbis auſterioribus caſtigatam, dimiſit non parum ſauciam; quòd in digreſſu, rogantem vt ſui apud Deum meminiſſet, conteſtatus è cõtrariò eſſet, vt Deus funditus eius memoriam, è corde ſuo obliteraret. Quod ita molliuit Theophilus, recreandæ inde ſupra modum afflictæ virgini; [Nunquid neſcis te eſſe mulierem? & quia per fœminam ſolet inimicus hominẽ impugnare, ideò vultum tuum de corde ſuo delere ſe dixit: nam pro anima tua, Dominũ deprecatur.] S. Vinualocus ad ſepta ſui Monaſterij, nulli vnquam fœminæ acceſſum patere voluit.

10. Vltrogodam Reginam oblatis ingentibus prædiis enixè poſtulantem admitti in con-

[a] *lib. de cura pro mortuis cap.17.*

ſpectum ſancti Abbatis Carilephi, repulit cum hamatis muneribus vir ſanctus; Monachorum ſuorum conſtantiæ timens ex appulſu regij gynæcæi; conteſtatus ſperare ſe de Numinis bonitate nullam vnquam mulierem, ſuum illud cœnobium ingreſſuram. Quam veluti prænunciationem, procax mulier *Gunda* nomine, caſſam (vt rebatur,) monſtratura, aſſumpto virili habitu, virum mentita, ſubire cœnobium conſtituit. Sed ſtante Deo pro ſerui ſui decretis, mulier cùm viæ ſe dediſſet, priuſquàm oculis cœnobij aditum vſurparet, iuſto Dei iudicio à Dæmone inſeſſa, prodigioſum in modum: hîc præ verecundia premendum, quo impudens auſum mulieris Spiritui ſancto (ſi fas foret,) molitæ illudere, propudioſa ſexus retectione damnabatur; exemplo ſuo cæteras docuit, religioſæ domus aditu abſtinere.

11. Muliebri petulantia ad iuſtam indignationem concitatus B. Fiacrius, orauit vt nulla mulier, citra corporeæ ſanitatis diſpendium, in ſuum monaſterium pedem inferret. [Poſtmodum igitur, (aiunt ſancti viri Acta,) quædam mulier diues & nobilis, volens experiri quid accideret mulieri Monaſterium prædictum intranti, ad illud ancillam ſuam manibus propriis impulit. Quo facto videntibus omnibus qui aderant, ipſa vnum oculum amiſit, ancilla verò illæſa permanſit. Sed & moderno tempore, mulier de Latiniaco, in Monaſterio vnum pedem poſuit, qui ſtatim intumuit;

tumorque aſcendendo, tibiam, genu, & crus occupauit. Sunt & alia multa, quæ mulieres ab ingreſſu monaſterij prædicti compeſcunt.]

12. Durius in ſpeciem eſt, ſed tamen inſigne religioſæ accurationis argumentum, quod Sanctorum Monachorum plerique,ne propinquiſſimas quidem mulieres, (matrem putà atque ſorores,) in ſuum conſpectum venire ſunt paſſi. In Actis S. Pachomij [a], Theodorus Monachus matrem copioſam fœminam, literis Epiſcoporum communitam, ad filium repoſcendum, ne videre quidem ſuſtinuit, allegata illa filiorum Leui generoſa ad parentes voce, *non noui vos*. Idipſum de Theodori ſorore narrat Ruffinus [b], ſiue memoria lapſus, ſiue ſororem matri comitatam deſcribens. De ipſius S. Pachomij ſorore, idem habent eius Acta [c]. Abbates item Pœmen & Nuph,matrem annoſam, pignorum ſuorum conſpiciendorum ſitientiſſimam, non audierunt, Ruffino teſte [d]. Marcus Antiquarius, is ipſe qui præ obediendi celeritate, *o* litteram Angelo perficiendam reliquit, matri poſt longam fatigationem, non niſi obiter & incognitus, ac clauſis oculis adactus aſtitit, vt habet narratio de eo exarata [e] l. 5. vitæ Patrum. Æquè Pior Abbas, ſorori ſe ſtitit clauſis oculis, cùm eius infractam in fratre conſpiciendo peruicaciam frangere nequiuiſſet,vt eſt apud Palladium [f]. Quanto ſtudio externas mulieres in conſpectum ſuum venire prohibebãt hi ſancti Monachi,à quibus

[a] *cap.33.*

[b] *l.3. vita Patrũ cap.33.*

[c] *cap.28.*

[d] *libro illo 3. c.154.*

[e] *libello 14.n.6.*

[f] *cap.87. Lauſ.*

mater & ſoror conſpectu arcebantur? Nec mirum, quandoquidem ſupra colubrum & baſiliſcum, extimeſcendam eſſe Solitario mulierem, tradit ex ſenſu Patrum Franciſcus Petrarcha [a].

[a] *lib.2.de vita ſolitaria cap.3.*

13. Imbutus hoc Sanctorum ſpiritu S. Bruno, & nominatim Stylitas Oriẽtales æmulatus, mulieres aditu Cartuſiæ prohibuit. In collectione primæuarum conſuetudinum domus Cartuſiæ, conflata à Guigone Generali, non ita multo poſt S.Brunonẽ, ſic ex ſpiritu ſancti inſtitutoris decernitur [b]. [Mulieres terminos intrare noſtros nequaquam ſinimus, ſcientes nec Sapientem, nec Prophetam, nec Iudicem, nec hoſpitem Dei, nec filios, nec ipſum Dei formatum manibus Protoplaſtum, potuiſſe blanditias euadere vel fraudes mulierum, Salomõ, Dauid, Samſon, Loth, & qui acceperũt ſibi vxores quas elegerant, & Adam, in mentem veniant. Nec poſſe hominem, aut ignem in ſinu ſuo abſcondere vt veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas plantis illæſis, aut picem tangere, nec inquinari.] Quæ iterantur 2.*p.* Statutorum antiquorum [c]; ea inſuper cautione addita, ne eleemoſynæ niſi longè à domibus Ordinis præbeantur, ſiquando ex charitate ſunt ei ſexui erogandæ. Ac etiam, vt cùm contingit in prædiis ad Ordinem pertinentibus. neceſſariò adhiberi mulierum operam, nemo ad familiam quoquo modo pertinens, pendat illis ſua manu mercedem; ſed per vnum aliquem

[b] *cap.21.*

[c] *cap.26.*

quem è viris mercenariis curet pendendam. Denique, vt Superiores cùm contigerit mulieres vrgere ſummum Pontificem, vt fiat illis poteſtas ingrediendi domos, vel Eccleſias Cartuſienſium, nihil prætermittant ſalua obedientia, quominùs obſiſtant. In quam rem alia leguntur conſtituta pleriſque aliis locis. Vnde patet, S. Brunonem iam olim inieciſſe ſuis eam mentem, vt mulieres à ſeptis Cartuſianis arcerentur, id quod ipſe ſuperſtes ſeruauerat & S. Hugo Gratianopolitanus, diuina autoritate interdixerat, vt habetur in Charta donationis loci Cartuſiæ, ab eo facta S. Brunoni. Quamuis autem ſubnaſcentibus (vt in re noua) impedimentis, decretum perfectè ac ſolidè ſtatui initio non potuit, vt habent Acta S. Anthelmi, qui primus ita omnes Cartuſiæ aditus obſtruxit, vt omnino prohibitæ ſint acceſſu mulieres; tamen iam ab initio conditæ Cartuſianæ domus, ea B. Brunonis Inſtitutio vigebat. Benè, religiosè, ſapienter. Quas enim ex inſtituti legibus iuuare non aſtringebatur, (iis namque illigati, alium ineunt agendi modum) Satius cenſuit aditu prorſus occluſo, arcere ſedium ſuarum ambitu, quàm poſita tantùm de eis ſobriè admittendis ſanctione, improuidis decipulam relinquere, & inſaturabilem ſexus mollioris curioſitatem in vetita magis nitentem acuere, ſi ſpes fieret legis aliquando perrumpendæ.

14. Et conſtat, ſanctas graueſque fœminas

tantum detuliſſe ſenſui S. Brunonis hac in parte, vt non ſecus Cartuſiæ aditum extimuerint, quàm mulieres Hybernæ ingreſſum maioris è duabus inſulis ad Momoniam Borealem; quò nulla vnquam fœmina ſubit, ſiue ex hominibus, ſiue ex brutis, quin moriatur: vt ſcribit Gyraldus Tract. de mirabilibus Hyberniæ [a]. Itaque fuerunt quæ poteſtate facta ſubeundi Cartuſiam, per occaſionem Reginarum, quæ illuc aditum extorſiſſent, noluerint vix aliàs offerenda opportunitate frui, & viſere Cartuſiam. Sed illuſtriſſimum ſupra omnia eſt exemplum Margaretæ Auſtriacæ, Philippi IV. qui nunc ad Iberiæ clauum ſedet, lectiſſimæ parentis. Ea cùm per Inſubriam tranſiret, petitura Ferrariam, vbi Clemens VIII. Pontifex Maximus, coniugium eius cum Philippo III. Hiſpaniarum Rege, benedictione ſua firmaturus erat; audita Ticinenſis Cartuſiæ amœnitate cum magnificentia certante, tametſi erant qui ingreſſum ſuaderent, & expetitam à ſummo Pontifice ingrediendi facultatem, miſſo ad id veredario, exoratam vrgerent; maluit ea oculis ſuis amœnitate negata, exemplum Principibus fœminis reprimendæ Sanctæ in ſpeciem curioſitatis ſtatuere; quàm paſcere inſolito ſpectaculo viſum, vſu indulgentiæ, qui in ſanctarum legum labefactationem, gliſcente facilè abuſione, verteretur. Quod ſanctè ac prudenter optimam Reginam monuerat, conſcientiæ in ſacro tribunali arbiter Richardus

[a] §. 15.

Societa

Societatis IESV Sacerdos,ſententiam rogatus. Izabella Clara Eugenia, quæ æuo noſtro Heduiges ac Elizabethas reduxit, eadem ex cauſa quæ ſororiam permouerat, renuit quandam Belgij Cartuſiam ſubire,quamuis iure fundatæ domus, & ſupremæ dominationis poſſet. Verum eſt, aliquando fœmineam locum ſanctum viſendi pruriginem reſeraſſe adyta ; & illò ſubiiſſe mulieres, quò non niſi titulo Maieſtatis irrepſiſſent, ſed quo ſanctorum Aſcetarum ſenſu exceptæ? Docebit exemplum non adeò antiquum. Catharina Medicæa Henrici II.coniux templum Cartuſiæ magnæ ingreſſa, cùm illic ſuis quiſque ſubſelliis terreſtres illi Angeli ad pangendas Deo laudes conſiderēt, mirata eſt ,neminem eorum in ipſam oculos defigere,nec ea ſpecie & mundo immenſi pretij quo nitebat, oculos paſcere. Moderator Generalis qui Reginæ aderat, cauſam tantæ oculorum frænationis rogatus, reſpondit dignam ſua perſona ſententiam. *Non in te defigunt oculos,ô Domina,quia alias verſant animo cogitationes, & alio fine in Eccleſiam conuenerunt.*

PVNCTVM VII.

Probrum nouitatis, & suiipsius odij iusto auctioris; necnon inutilitatis ad communem vitam, S. Brunoni ac sodalibus, æquè ac Stylitis Orientalibus, calumniosè impactum.

COhorruisse plerosque ad rationẽ vitæ Stylitarum Orientalium, ex nouitatis ac odij suiipsorum illos notasse auctor est Theodoretus [a], calumniam illam accuratè depellens. Ipsos etiã eremi Patres, principiò ad nouam planeque inauditam vitæ rationem, hæsisse dubios, an ex Dei afflatu id suscepisset S.Simeon, annotatum ab Euagrio est [b]. Idipsum accidisse S. Brunoni ac sociis, docet Gulielmus Abbas informans Cartusianos de monte Dei. Iuuat ex Gulielmo, planè grauissimo scriptore, & S. Bernardi familiarissimo, & calumniam nouitatis Cartusiensibus proximè natis impactam audire, & depulsionem eius indidem adscribere. Calumnias verò de immoderato suiipsius odio, & inutilitate ad communem vitam, earumque notarum reiectionem posteà subiungam.

[a] *cap.26. relig. histor.*

[b] *lib.2. cap.13.*

§. I.

§. I.

S. Bruno ac socij nouitatis per calumniam insimulati.

1. GVlielmus itaque collaudatis ipso Tractationis principio Cartusianis, à vitæ sanctitudine, & multiplicibus religionis omniumque virtutum exemplis, hæc subiicit.[Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si quæ viscera misericordiæ, implete gaudium non meum tantummodò, sed omnium diligentium nomen Dei, vt in varietate vestitus deaurati de auro Sapientiæ Dei, Reginæ assistentis à dextris Sponsi, vestro studio, vestra instantia, ad Dei gloriam, & magnam coronam vestram & gaudium omnium bonorum, hoc sanctæ nouitatis instauretur ornamentum. Nouitatem verò dico, propter linguas nequam, à quarum contradictione abscondat vos Deus in abscondito faciei suæ; hominum impiorum, qui cùm manifestum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo nouitatis nomine cauillantur; veteres ipsi, & in veteri mente nescientes noua meditari: tres veteres non capientes vinum nouum, quod si eis infunderetur, rumperentur. Sed hæc nouitas, non est nouella vanitas. Res enim est antiquæ religionis, perfectè fundatæ in Christo pietatis; antiqua hæreditas Ecclesiæ Dei à tempore Prophetarum præmon

monstrata, iamque nouæ gratiæ sole exorto, in Ioanne Baptista instaurata & innouata ab ipso Domino familiarissimè celebrata, ab eius discipulis ipso præsente concupita; cuius transfigurationis gloriam cùm vidissent, qui cum eo in monte sancto erant, continuò Petrus, in eo quidem abreptus sibi, & nesciens quid diceret, quia visa Dei maiestate, commune bonum intra priuatum suum visus est conclusisse, in eo autem præsentissimus sibi & scientissimus quid diceret, qui suauitate eius gustata, optimum sibi iudicauit in hoc semper esse, vitam hanc in contubernio Dei, & ciuium supernorum, quos cum eo viderat, cōcupiuit, dicens, *Domine, bonum est nos hîc esse, si vis faciamus hîc tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum*; in quo si auditus fuisset, facturus procul dubio erat postmodum alia tria, sibi vnum, Iacobo vnum, & Ioanni vnum. Post passionem verò Domini, calente adhuc in cordibus fidelium, effusi eius sanguinis recenti memoria, solitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritus sectantibus, & in spiritualibus exercitiis, & in contemplatione Dei, pingue otium altero in alterum zelātibus, deserta repleta sunt. Ex quibus legimus Paulū, Macarium, Antonium, Arsenium, & alios quàm plures, in sanctæ huius conuersationis republica consulares viros, egregia nomina in Ciuitate Dei, nobiles & triumphales titulos habentes de victoria huius sæculi, & Principis

huius

huius mundi, & corporis sui, de cultu animi & Domini Dei sui: sileant ergo qui in tenebris de luce iudicantes, vos arguunt nouitatis, ex abundantia malæ voluntatis, ipsi potiùs arguendi vetustatis & nouitatis.]

2. Possent in hanc rem, & in huius calumniæ contritionem, addensari quamplurima ex Scriptoribus de laudibus vitæ solitariæ, quas inter eminet vernantissima Eucherij lucubratio de laudibus eremi, & Hieronymi ad Heliodorum encomium vitæ solitariæ. Ex recentioribus idem accuratè præstiterũt Franciscus Petrarcha, binis de vita solitaria libellis, Dionysius Richelius Opusculo eiusdem argumenti, Laurentius Iustinianus de vita solitaria, & alij, quorum sensa carmine expressit in solitudinis encomio Cornelius Musius; è quorum disputationibus liquidò perspicitur, quàm absurdè S. Bruno & socij, ob captatam solitudinẽ damnati sint nouitatis. Nihil tamen est necessè fortiùs quatere vanissimam hanc calumniam, Nam etiamsi verum fuisset, Cartusianorum viuendi rationem antiquitate destitui, quod Gulielmus liquidò reuicit falsitatis; neque sic tamen oblocutionibus iure patuisset. Annon enim vetera omnia aliquando noua fuerunt, & quæ primùm aliquando notantur nouitatis, procedente tempore cana & vetera euadunt? Dictum in hanc rem plenè, excutiendo probrum nouitatis circa doctrinam, in Opere de iusta & iniusta librorum confixione [a]. [a] *part.* 1. *Erot.* 10.

§. II.

§. II.

Alia calumnia, S. Brunonem ac socios notans sæuitiæ in seipsos, penes prætextus varios: ac primùm penes locum habitatores suos deuorantem.

1. PRætextum aliquem calumniæ alterius, qua grauatum esse cum sociis S. Brunonem affirmabam, nimirum odij immoderati suipsorum, & alicuius in seipsos immanitatis atque sæuitiæ, quali probro oneratos quoque Orientales Stylitas præmisimus; subministrasse imprimis visum est, aliquod vitæ profligandæ discrimen, ex horrentissima solitudine, & cæli illic insalubritate, ac recisione commodorum propè omnium, quibus vitam perbreui accidendam, lecta quædam satanæ organa murmurabant, vt est in Actis S. Brunonis [a]. Cùm enim digresso Romam Vrbani II. iussu S. Brunone, socij obfirmatè illum essent comitati; moxque resumptis animis Roma regressi, sub Landuino filiorum S. Brunonis primo, locum sanctum cælesti fragrantia perfunderent, velut in terrestri paradiso innocentiæ statum exigentes; affuit serpens, cuius sibilo per malignos & virulentos emisso, effectum est, vt ambigui aliquandiu fluctuarent, hinc formidantes offensam Numinis, si locum Diuinitus S. Hugoni præmonstratum, & B. Brunone

[a] cap. 11.

none auspice ex cælesti designatione inhabitatum desererent, inde intentatam à viris pietatis ac doctrinæ laude illustribus, sæuitiæ notam extimescentes. Quæ labes, in S. Brunonem aditionis Cartusiæ ducem, & regressionis autorem, refundebatur.

2. Sed virulentum sibilum Diuina benignitas dispulit, obiectu conspicuo Principis Apostolorum, qui fluctuantes firmauit, & nebulas cogitationum discussit, pollicitus Virginis Deiparæ tutelam, si ei quotidie precatorium pensum exsoluerent, recitatione officij Clericis omnibus ab Vrbano II. Ecclesiæ per ea tempora Rectore impositi, in Concilio Claromontano; quod onus lubentes admiserunt. Exinde verò nubilum de iusto auctiore sui odio, & vitæ accisione per loci ac instituti rigiditatem, euanuit. Et meritò quidem. Neque enim astringimur longitudini alicui dierum vitæ corruptibilis consulere, abstinendo corporis maceratione penes locum minùs salubrem, & imbonitates carnis afflictiuas; sed ad vtilitatem animæ facientes. Et vitiant quidem ista interdum, præsertim frequentiùs vsurpata, dispositiones, vitæ retinendæ ac diutiùs prorogandæ accommodatas. Tamen supponimus non esse eiusmodi quibus vita notabiliter aut sensibiliter accidatur: quod fore inconsultum & illicitum, tradit Medina [a]. Et quanquam supponātur inferre aliquod vitæ breuiandæ discrimen; nihilominus fas est studio subiiciendi animæ

[a] *q. 13. de Ieiun.*

animæ corpus, illudque in seruitutem redigendi, aut satisfaciendi Deo pro peccatis admissis; fas inquam est, præeligere bonum animæ consequens carnis contusionem, potiùs quàm illud aliquale corporis bonum quod situm est in illa paulò maiori certitudine vitæ vlteriùs prorogandæ, si talibus imbonitatibus abstineatur: præsertim cùm huiusmodi asperitates non petant directè vitam, nec eam proximè & immediatè lædant, vel etiam certo aut valdè probabili periculo obiiciant. Esto remotè & indirectè ob læsionem dispositionum vitæ diuturnæ consentanearum, ac valetudinis nonnullam concussionem, alicui probabili periculo vitæ decurtandæ, aut etiam profligandæ, hominem exponere censeantur. Id enim potest labe vacare, quia non est sibi applicare mortis causas; sed tantùm est curare bonum animæ per aliqua corporis incommoda; quibus sæpè contrarius naturæ nisus, obsistit, semperque suspicari licet, maiores esse in huiusmodi negotio vires naturæ, quàm pars inferior fastidiens incommodum, suadere subdolè conetur. Neque verò adigimur omnes omnino rationes licitas vitæ prorogandæ consectari: alioqui mira anxietate compleretur vita nostra, & innumera bona essent præmittenda: multa item officia corpori grauia essent illicita, vt cursorum, militum; omnes denique tenerentur studere medicinæ, vt rectè argumentatur cum Gersone Ioannes Nider [a].

[a] *in Consolat. part. 1. cap. 7.*

§. III.

§. III.

Calumnia alia, ex apoche illabefactabili.

1. PRætextus alius calumniæ propositæ, in S.Brunonẽ sociosque intortæ, & diutiùs viguit, & apud multo plures locũ habuit. Petebatur autẽ ex perpetuo apud Cartusianos interdicto vescendi carnibus. Hæc fuit apud omnino multos petra scandali: Quod docemur ex Epistola Gersonis ad Ioannem de Gonant, è nobili sæculari nobiliorem in Cartusia Christi seruum. Testatur ea Epistola Gerso, illo ipso tempore, [carnales quosdam, cæcis oculis ac spumanti ore, latrasse in religionem Cartusianam, tanquam irrationabilem & impiam,] ob hoc interdictum: Pro Cartusianis autem satagentem Petrum de Alliaco, cùm illos sanctissimi instituti allatratores refellere aggressus esset, ad fundum difficultatis nequaquam pertigisse. Id quod ipse Gerso tentat perficere; an satis feliciter, intelligetur ex dicendis; in eius difficultatis discussione ad quam aggredior.

2. Præmittendum verò imprimis est, circa abstinentiam perpetuam à carnibus, duplicem agitari posse controuersiam. Vna est, de abstinentia perpetua extra graue mortis discrimẽ. Altera de eadem abstinentia in mortis periculo, etiam moraliter certo atque grauissimo. Verùm prior controuersia, non est ea cui in præsentia

est

est insistẽdum. Tametsi enim priuatio illa cibi quem Deus creauit ad hominum vsum, & haud dubiè ex se labe vacantis, aliquibus Hæreticis displicuerit, quia carnes censebant immundas, ac quibus vesci nulli Christiano liceret; vt constat de Manichæis, & de Eustathianis, idcirco damnati in Gangrensi Concilio [a]: imò ipse Apostolus Coloss. 2. idipsum suggillauit, in exortis in eo tempore sectariis. Tamen nemo Catholicus, vnquam abstinuit à carnibus, quasi ex se immundæ sint, & generaliter à Christo proscriptæ: sed tantùm ad corporis subactionem & compressionem lasciuiæ, esum carnium facilè consequentis. Qua ratione, abstinentia à carnibus, siue certis diebus præscripto Ecclesiæ designatis, siue perpetua (extra graue mortis discrimen, de quo posteà;) laudabilis est & sancta, nequicquam allatrantibus eam Nouatoribus, tanquam sordeat superstitione, quos rectè refellit Bellarminus [b], & passim Hæreseologi, confirmantes honestatem delectus ciborum, vigentis in Catholica Ecclesia.

[a] can. 2.

[b] l. de ie iunio à cap. 12.

3. Hac porrò ex parte, nihil est peculiare circa Cartusianos. Nam etiam plerique alij Monachi & Religiosi, à carnibus abstinẽt, constante sanitate, per totam vitam, extra discrimen mortis à graui morbo. Et in eam rem Petrus Damiani, & S. Odo Cluniacensis, proferant diuinas vltiones in quosdam carniuoros Monachos, quorum abusionem Deus inuisam sibi

ſibi eſſe demonſtrauit. Non eſt igitur hoc decus Cartuſianis peculiare; atque adeò etiam, neque difficultates, ſi quæ ſunt quibus ea abſtinentia à carnibus vrgeri poſſit, ad Cartuſianos potiùs pertinent, quàm ad alios eiuſdem apoches vſurpatores: Et neutri reuera inde vrgentur. Nam quod Alicibiadis inter Martyres Lugdunenſes olim clari, religio huiuſcemodi, damnata refertur ab Euſebio, ita vt eam abiicere ſit adactus, ne eſſet aliis martyribus deſignatis offendiculo: longè aliò pertinet, quàm ad apoches Monaſticæ improbationem, vt dixi in SS. Lugdunenſium indiculo, v. *Alcibiades*. Difficultas ergo quæ peculiariter vrgere videtur Cartuſianos, ea eſt quæ petitur ex perpetuitate abſtinentiæ à carnibus, etiam ſuppoſito mortis periculo. Qualem à carnibus abſtinentiam, nemo nunc aliorum Monachorum profitetur. Vrgetur autem ea abſtinentia, difficultate non contemnenda, quæ calumniæ de Cartuſianorum in ſeipſos ſæuitia, fundamentum aliquod ſubminiſtrauit. Quomodò enim non eſt contra debitum ſui amorem, in extrema neceſſitate, cui ſolus carnium vſus ſubuenire poſſit, & hominem certa morte eripere, carnes obfirmatè reſpuere?

4. Vt hæc difficultas penitiſſimè peruadatur, & quàm accuratè diiudicetur, calumniaque euaneſcat ſtatuendum imprimis eſt, interdictum veſcendi carnibus, non eſſe in Cartuſien-

si Ordine recens, sed occœpisse cum ipso Ordine, vt patet ex illis verbis Petri Cluniacensis [a], describentis Cartusianam familiam tunc ferè nascentem. [Ab omni carnium esu, tam sani, quàm ægri in perpetuum abstinent.] Itaque quod est in antiquis actis S. Brunonis *sub finem.* [Patres nostri, pro se & suis Conuentibus vnanimiter in pleno Capitulo Generali, esui carnium perpetuò abrenunciauerunt :] non est ita accipiendum, quasi ea apoche, procedente tempore per plenarium Conuentum sit in Ordinem inducta. Vides enim, Petrum Cluniacensem, priusquàm vllum Generale Capitulum haberetur, & cùm fortassis aliæ domus præter binas à S. Brunone constitutas, Cartusianæ familiæ non subessent, perpetuam à carnibus abstinentiam in Cartusianis celebrare. Sensus igitur Actorum illorum esse debet, Generale Capitulum, vt Choppinus [b] notauit anno Christi 1254. post annos 170. quibus is vsus liber viguerat, eum firmasse indissolubilibus nexibus, & præclusisse locum omnem epiichiæ; præcisis dubitationibus omnibus circa huius abstinentiæ honestatem : & nemini, ac nusquam, & nunquam, (ad medelam dumtaxat,) vsum carnium permissum deinceps esse voluisse ; qui eatenus vltroneo voluntariè sacrificantium assensu, proscriptus à Cartusia fuerat ; cùm fas fuisset, si collibuisset, aliquali saltem necessitate vrgente, carnibus vesci.

[a] *l.2.miracc.c.28.*

[b] *lib. 2. Monastici tit.1. n.42.*

5. Dixi

5. Dixi *ad medelam dumtaxat*, quia apud Cartusianos ratum est, esum carnium innoxium fore, siquis in eum statum deduceretur, vt defectu cuiusuis alterius cibi, esset ei fame pereundum, quantumuis alioqui sano, nec ex vi morbi occubituro, nisi carnes comederet. In eo inquam euentu & licitum, & sub graui culpa necessarium esset Cartusiano, carnes comedere, contra Lessium [a]. Sed quod dixi, disertè statuit Gerso [b] Cartusianorum studiosissimus, subscribitque Dionysius Richelius [c], & Ioannes Hagen de Indagine [d], ac etiam Petrus Sutoris [e]. Nicolaus de Moulin Tract. de abstinentia à carnibus, quem suæ Cartusianorum historiæ intexuit, cùm de Gulielmo Raynaldi Generali. Idem tradunt Maior [f], Martinus de Magistris [g], Almainus [h], Vasques [i], Suares [k], Salas [l] & Pasqualigus multos adducens [m]. Contrarium sanè esset inhumanum & contra naturalem retinendæ vitæ inclinationem. Nec posset obtendi quippiam honestans in eo euentu abstinentiam à carnibus, sicut potest interuenire quòd honestet abstinentiam illam, suppetente alio esculento quod possit vitam sustentare in ratione cibi. Ago autem de euentu in quo omnis alius cibus deesset, non autem de euentu in quo suppeteret quidem cibus alius, sed quem æger præ nausea aut fastidio

[a] l. 4. de virtut. c. 3. n. 12. *[b] tract. de non. esu carnium.* *[c] Opusc. de præconio sui Ordinis art. XI.* *[d] lib. 1. exercitiorũ Ord. Cartus. c. 14.* *[e] lib. 1. de vita Cartus. tract. 3. cap. 8. ad finem.* *[f] in 4. d. 38. q. 4.*

[g] *q. 3. de abstinentia.* [h] *cap. 3. moral. & in 4. d. 15. q. 2. propos. 3.* [i] *1. 2. d. 162. num. 27* [k] *t. 4. de relig. tr. 9. l. 2. c. 4. n. 2.* [l] *1. 2. tr. 14. disp. XI. à n. 29.* [m] *decis. 20. de ieiunio & decis. 21. n. 2.*

fastidio, nulla ratione vellet admittere, confirmans se posse vesci solis carnibus. Nihilominus enim tunc verum non esset, quòd omnis alius cibus reipsa deesset, & quòd fame moriendum ægro esset, nisi carnes illi porrigerentur; quia alius cibus, etiamsi fastidium moueat, & obfirmatè ab ægro respuatur, est tamen reuera cibus idoneus ad excludendam mortem defectu alimenti consecuturam. Atque ita tunc æger deberet conniti, & dicere cum Iobo, *quæ nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.* Quòd si id à se impetrare non posset, statuendum perinde esset de eo, ac de illo ægro qui carnes quoque fastidiret: id est non idcirco ministrandæ illi essent carnes, sed habendus esset pro conclamato atque deposito.

6. Hærendo igitur in proposita difficultate, quatenus petita ex esu carnium, tanquam necessario ad propagationem vitæ in homine ægro, etiamsi alij cibi suppetant; nego eum prætextum fuisse idoneum ad impingendum S. Brunoni ac sociis iusto auctius sui odium, etiamsi fixum habuerint, indispensabiliter, & in omni euentu, (ac vel si mors aliter quàm præ fame ex submotione cuiusuis alterius cibi, consecutura esset,) carnibus abstinere: id quod eis opponunt Martinus de Magistris [a], Ioannes Medina [b] & Sylu. V. *Iuramentum* [c]. Et credendum eodem pertinere, quod Petrus Cellensis

[a] q. 2. de abstin.
[b] q. 4 de ieiun, ad vltimū.
[c] 4 §. 10.

Cellensis [a] scribens ad Basilium Priorem Cartusiæ, qui anno 1170. florebat, & Capitulum Generale ibi congregatum, postquàm pereleganter tradidit, superiores in corpore esse quasi venas, quæ nec turgere nimiùm, nec suprà modum inaniri debeant, si sanitas corporis sit curanda, addit. [Domini & Patres charissimi ostium vestri Ordinis & visione rara, & interrogatione assidua iam triui, & si consilium alterius Iethro admittitis, non vsquequaque dispersationes quæ de corde charitatis procedunt anathematizabitis. Quàm enim friuolum & inconstans est, sine ratione & auctoritate meliorum, mutare decreta & statuta seniorum, tam pertinax est & extra regulam temperantiæ, quæ est mater virtutum, velle temporibus & moribus hominum, negare quæ deceant & expediant. Ignoscite quòd vocem, funestam quidem quantum ad sonum, sed veram quantum ad sensum, in vestro sancto Conuentu, de latibulo meo ausus sum proferre.] Et in eundem sensum dixisse videtur scribens ad Cartusianos de monte Dei [b] [Lutum carnis vt fortiùs prematis, & validiùs calcetis, intratis, si subigendo tenere laterem memineritis. Non itaque vsque ad internecionem desæuiat mucro vester. Tolle, (ait Dominus,) grabatum tuum & ambula : id est, corpori indulgeas, non seruias.] Hæc enim indulgentia obstans sæuitiæ vsque ad internecionem, spe-

[a] *lib. 5. epist. 12.*

[b] *lib. 4. epist. 3.*

ctare maximè videtur vsum carnium in extrema necessitate, quem sibi negantes Cartusiani illi, videbantur retro in corpus suum desæuire vsque ad internecionem.

7. Sed id sanctè & piè constitutum esse, fusè confirmant Bartholomeus Ruræmundanus [a], Dionysius Richelius [b] Petrus Sutoris [c], Nider [d], Victoria [e] Benedictus Haëstenus [f], Vasques [g], Azor [h], Richardus Hallus [i], Lessius [k], Salas [l], Suares [m], & communiter DD. qui rectè passim aduertunt, vix ac ne vix quidem posse contingere, vt moriendum sit ægroto præ ægritudine, nisi carnes suppeditentur: potest enim carnium ad morbi depulsionem & vitæ prorogationem efficacitas suppleri, adhibitis ouorum vitellis, admistisque aromatibus, & iuncto vino optimo, vt disserit Arnaldus Villanouanus lucubratione de hac controuersia, in calce operum eius vulgata. Nec reticuisset efficacitatẽ lapidis Bezaartis. Si eo tempore innotuisset; nec eius vires Richelij ac Villanouani ætate latuissent Europæos, ad quos per nauigationes Indicas vtrumque subsecutas, peruasit Bezaartis cognitio, vt videre est apud Monardem, Garciam, Clusium, A Costa, & alios, medica remedia ab Indis suppeditata describentes.

8. Quinimò Arnaldus Villanouanus, non tantùm censet posse vitam conseruari absque carnibus

[a] *tract. de hoc argumẽto.* [b] *lib. de preconio sui Ordinis, ar. 2. 3. 4. cap. XI. & sequentib.* [c] *lib. 1. de vita Cartus. tract. 3. cap. 7. 8. & 9.* [d] *in consolatorio p. 3. c. 7.* [e] *relect. de Tẽpor. num. X.* [f] *lib. 10. disquisit. Monast. disquis. 8. n. 1.* [g] *1. 2. d. 162. c. 4.* [h] *4. 3. l. 2. cap. 3. quæst. 14.*

[i] *l. 3. de quinquepart. conscientia cap. 47.* [k] *l. 4. de virtut. c. 3. n. 12.* [l] *1. 2. tr. 14. disp. XI. n. 22.* [m] *tr. 9. de relig. l. 2. c. 4. à n. 3.*

carnibus per remedia quæ retuli ; sed etiam censet carnes in eum finem esse minùs accommodatas, ob abundantiam vnctuositatis superfluæ, in iusculis è carnibus elixis. Ea quippè humiditas est pabulum caloris extranei, potiùs quàm materia sanguinis puri,& spirituum laudabilium, qui necessarij sunt ad fouendam vitam ; & facilè procreantur ex alimentis subtilibus facilè transmutabilibus in purum sanguinem,cuiusmodi sunt vitella ouorum,& vina cũ aromatibus:quamuis si non ageretur de fouenda aut reparanda virtute vitali, sed de motiua, fatetur Arnaldus, quòd opportuniores essent carnes;quippè cùm sint cibaria crassa,quæ densum & tenacem, glutinosumque sanguinem generant, accommodatum ad motum voluntarium, qui neruorum robore & lacertorum soliditate,sanguinem densum & tenacem consequente, perficitur, Nam humiditas nutrimentalis glutinosa & tenax ægriùs à membris per motum ac laborem resoluitur. Itaque concludit cum Galeno Arnaldus,quia in moribundo & languente, de quo hìc est controuersia, non agitur de confortatione & roboratione virtutis progressiuæ, sed de fomento virtutis vitalis, præstare non adhibere carnes, vel earum iuscula.

9. Sed hanc Villanouani philosophiam, videtur refellere communis sensus, qui fert, carnes ad vitam fouendam esse opportunissimas;

Et idcircò in Regula S. Fructuosi, vt refertur à S. Benedicto Anianensi[a], cùm monachis interdicatur esu carnium, excipiuntur tamen ægroti, vel destinati longinquo itineri: quia scilicet vires necessariæ ad sanitatem recuperandam, vel durandum in longi itineris labore, parari faciliùs possunt, adhibito esu carnium. Idem ob hanc ipsam causam, quoad infirmos, edicitur in variis institutis, vt videre est in Benedicto Illustrato[b], & nominatim in regula S. Aureliani, cuius fragmentum idem S. Benedictus Anianensis adducit. Confirmant hoc ipsum omnes Medici, præter Villanouanum; nec est qui diffiteatur, carnes carni fouendæ & roborandæ esse opportunissimas. Imò hanc vnã ob causam, abstinentia carnium annumeratur marcerationibus corporis, & ab authoribus SS. Institutorum, plerunque est proscripta carniũ in cibum vsurpatio, qua de re alibi. Nunc enim tantùm contendo, propositam Villanouani philosophiam, aduersari communi sensui. Quinetiam seipsam videtur destruere, cùm non possint carnes esse aptiores ad procreandos spiritus animales motui deseruientes, & roborantes virtutem progressiuam, quod tradit Villanouanus, quin sint etiam aptiores ad procreandos spiritus vitales, è quibus existunt animales. Commodiùs vrgere potuisset, insoliti cibi inutilitatem, ob disproportionem cum stomacho aliter assueto. Certum enim est, cibos

[a] *cap. 48. conc. regul. § XI.*

[b] *lib. X. disquisit. monast. tract. 6. disq. 12.*

bos quibus quis assueuerit, faciliùs concoqui & vtiliores esse. quare Cartusianus qui per vniuersam vitam aliis cibis sit vsus, ægrè iuuabitur assumptis in cibum carnibus, vel hausto earum elixatarum iusculo, quæ sunt veluti heterogenea alimenta post tam diuturnum vsum alimentorũ alterius generis. Hoc (vt dixi,) meliùs vrgere potuisset Villanouanus, quàm incommodam vim carnium ad vitam fouendam.

10. Quicquid autem sit de ea Villanouani doctrina, quam probari vel improbari, parum ad hanc causam refert, nobis satis superque est quòd virtus vitalis possit sufficienter foueri, interuentu fomentorum propositorum; vini, inquam, electi, & ouorum, ita vt carnes non sint ad eum finem absolutè & simpliciter necessariæ, sed possit absque eis caueri nota sæuitiæ in ægrum, vt habet praxis Carthusianorum. Imò ante Cartusianos viguit eadem praxis apud Monachos Græcos, vt his verbis refert Ioachimus Abbas [a], agens de S. Benedicti in suos indulgentia præ S. Basilio [. Quid clementius quàm quod ait S. Benedictus, dandam esse heminam vnam per diem, abstinere non valentibus, vbi haberi potest; & maximè dandas esse carnes infirmis, quas Græci negant indifferenter? Quamuis quidam Græcorum dicant, magis ex vsu maiorum, quàm ex regula suprascripti S. Basilij, esse ægrotantibus carnium fercula interdicta.] subdit, qui alteru-

[a] lib. 5. Concord. c. 17.

trum Sanctorum illorum errasse dixerit, insanum esse. Praxis ergo Cartusianorum, pro qua satagimus, longè ante eos, apud omnes Græcos Monachos viguit.

11. Visus est Deus huic praxi supra naturam astipulari, subductis aliquando per miraculum carnibus, cùm inferrentur Cartusianis ægrotis, ex falsa persuasione quòd essent morbo succubituri, nisi carnibus vescerentur. Sic Cartusiano Coloniensi, viro optimo & Instituti tenacissimo, cùm in ægritudine grauissima de Medicorum sententia perdices ad cibum fuissent appositæ, vrgente Superiore, vt inde cibaretur, indultum diuinitùs est vt ad cibi illius admotionem ex obedientia ori factam perdices in pisces optimos verterentur, vt est apud Dorlandum [a], quem alibi item [b], ac Petrum Sutoris [c], lego referentes, vsque adeo improbatam esse Deo illationem carnium in Cartusiam, quacumque ex causa, vt cùm aliquando carnes ad cibum sæcularium qui eò conuenerant inferrentur, vbi ad pontem fluuiolo diuidenti lapidẽ caliginis à populo peregrinante (vt huc verba Iobi [d] accommodem,) peruenerunt; in pisces sint commutatæ; Tãtum non proclamante Deo, proscriptas prorsus esse oportere ab ea sede carnes, in cibum cuiuscumque; ac vel si sæcularis, cessuras: multo minùs Religiosi Cartusiani, etiamsi cum morbo conflictantis. Non est autem verisimile,

[a] *lib. 5. chron. Cartus. c. 38.*
[b] *lib. 4. c. 24.*
[c] *lib. 1. de vita Cartus. tr. 3. c. 8.*
[d] *cap. 28.*

le, Deum edito tanto miraculo patrocinaturum esse falsitati, si verè carnes ad retinendam in extremo discrimine vitam, simpliciter necessariæ dici possent.

12. Multo minùs ad morborum præuentionem obtendi potest necessitas esus carnium, cùm certum sit Cartusianos non paucos, à morbis indemnes, prolixam vitam exegisse absque esu carnium. Quo in genere illustre est exemplum Cartusiani ad Lutetiam degentis, quem Dorlandus [a] testatur, centum ipsos solidos annos Cartusiæ institutis inhæsisse, vigentem semper ac viuidum, ita vt ad finem vsque suæ illius sanctè sæcularis vitæ, nocturnam synaxim & sacra officia indefessus in Dei officio frequẽtaret. Additque idem scriptor, simili conditione ac euentu alios, annorum sexagenã, & septuagenam sospites ac valentes citra vsum carnium decurrisse. Signandus meritò in hac serie est Iancelimus qui per annos sexaginta, totius Ordinis præfecturam tenuit; & haud dubiè non tyro, sed antiqua militiæ sacræ exercitatione probatus, sacris agminibus ductandis est adhibitus: Aymardus, quem alij *Aynardum* appellant, maioris Cartusiæ extra chori munia Monachus, S. Hugoni Lincolniensi percharus, & ab eo deductus in Angliam, mortuus est anno 126. ab adita Cartusia, & præstito inibi religioso sacramento anno 105. Ioannes de Noua villa Auenionensis Cartusiæ Prior,

[a] *lib. 5. chronic. cap. 4.*

Prior, ablegatus ad Vrbanum V. Pontificem qui de temperandis Cartusianorum asperitatibus tanquam iusto auctioribus, & vitam minuentibus, consilium inierat, octoginta produxit Cartusianos, qui vltra octoginta annos ab emissa professione, sani & incolumes in religiosæ vitæ agone durauerant. Ioannes Roesendal anno 1463. ex priore Auenionensis Cartusiæ in Generalem electus, anno ætatis octogesimo, præfuit Ordini vniuerso per annos decem, & nonagenarius obiit.

13. Arnaldus Villanouanus ad calcem apologiæ pro Cartusianis circa abstinentiam à carnibus, frequens esse affirmat, vt Cartusiani vigore sensuum superstite, octogenarij, nonagenarij, ac centenarij inueniantur. Nam eorum qui annos quinquaginta à professione exegerint, centum quinquaginta, abs se aut in antiquis tabulariis annotatos, aut ex visu cognitos, scribit venerabilis Pater Dumoulin, Prior Syluæ benedictæ in Cartusiana historia ad annum 1463. quibus ipse accensendus est, cùm se quoque ferè iubilatum, id est, in Ordine quinquagenarium profiteatur alio loco. Finge nunc abstinentiam carnium, longitudini vitæ, aut sanitati incommodare: aut tantam esse carnium cum vita consensionem, vt indeclinabiliter oppetenda sit mors ægroto, nisi carnes ingerantur.

14. Gratis tamen supposito euentu illo metaphysico,

taphysico, qui ab allatratoribus apoches Cartusianæ vrgebatur; concessa inquam necessitate esus carnium ad vitæ prorogationem, non defectu cuiusuis alterius esculenti; atque adèo in ratione cibi, qui solus & vnicus ad fouendam vitam suppetat, sed in ratione medicinæ aut pabuli vitam vlteriùs producturi, ob insitam carnibus efficaciam ad fouendam naturam, & obsistendum morbo contracto vitam alioqui excisuro; asserendum est, non modò licitè, quicquid in contrarium statuant Ioannes Medina[a], & Iacobitæ, vt habet titulus libri de hoc argumento ab Arnaldo Villanouano conscripti; in syllabo lucubrationum singularum toti operi præfixo, sed etiam sanctè & laudabiliter, B. Brunonem ac socios eorumque deinceps posteros, fixum habuisse carnibus semper abstinere, & vitam potiùs discrimini obiicere, quàm vesci carnibus, vt bonū religiosæ communitatis perstet incolume. Periculum enim propè iuge immineret violandæ abstinentiæ à carnibus; (quam extra euentum metaphysicum propositum sanctè retineri dubitare non licet;) si fas esse supponeretur, illam abiicere in extremo vitæ per morbum periculo. Nam pro innato cuique studio retinendæ vitæ, & meticulositate amori proprio commensa; vnusquisque facilè sibi esset abblanditurus, & persuasurus ingruere extremum periculum, cùm vix graue immineret: vnde

[a] *q. 13. de ieiunio.*

vnde perbreui marcor Statuti illius existeret, vnáque totius religiosæ obseruantiæ accuratio eneruaretur.

15. Nec fuit operæ pretium, relinquere ostium dispensationis per Superiorem concedendæ, si ingrueret extrema necessitas. Hoc enim ostium meritissimò à Cartusianis fuisse obstructum hac in parte, rectè admonuit his signantissimis verbis Gerso[a], conclamans in nimiam facilitatem dispensandi: [Euenit (inquit) sæpiùs, quòd dum passim laxatur rigor legis, (ex quadam, vt fingitur, compassione & misericordi condescensione ad aliquos parculares positos sub lege,) deperit ex altera parte stabilitas & rigor disciplinæ; qui rigor est præcipuè in omni lege seruandus. Docuerunt hoc Romani, qui proprios filios occiderunt; qui in seipsos rigorem legum suarum exercuerunt; quatenus disciplina militaris & obedientia legalis, inuiolata maneret. Docent hoc Patres Cartusienses, qui super esu carnium, vel nunquam, vel rarissimè (hoc est, cùm præ fame moriendum esset, nisi carnes deficiente omni alio cibo comederentur,) dispensationem recipiunt; ac proinde disciplina regularis viget apud eos, quæ quantum sit collapsa apud Religiones quasdam alias, passim dispensationibus vtentes, videre stupor & dolor est; super qua re iam Bernardi pro tempore suo querela nascebatur.] Vides cur Cartusiani

[a] *tract. de potest. Eccles. cōsid. 10.*

tusiani intenti in bonum diuinum & publicum illudque cum particulari, pro quo dispensatio captatur, librantes exquisitè, (quod faciendum cùm dispensatio adhibenda est, admonet loco citato Gerso;) censuerint non esse relinquendam spem dispensationis, posito quocunque vitæ discrimine; nisi carnes, quamuis alij cibi suppetant, subministrentur ægroto. Et suffragatus est Paulus IV. anno 1555. omnes dispensationes aliquando exoratas, sub anathemate rescindens. Per illud quippè dispensationis ostium, non obstructum adeò validè vt perrumpendi spes intercludatur, facillimè irrepit legis laxatio, & dissipatio disciplinæ. Itaque laudabiliter & sanctè, præcisa spe dispensationis à superiore concedendæ ex causa grauissima, abiiciuntur carnes, etiam in eo extremo periculo, siue vero, siue perperam supposito; & vitæ prospicitur aliis mediis, minùs quidem efficacibus, sed tamen ex se satis idoneis, & in ea communitate optimis, quantum per bonum publicum licet. Neque verò semper tenemur seruare aut fouere vitam per quodcunque medium simpliciter melius & fortius, si rationabilis causa suppetat eo medio abstinendi, id quod Gerso [a] fusè & validè confirmat.

[a] *tractatu allegato cõclus.3.*

16. Quinetiam in euentu proposito, abstinentia à carnibus non modò licite & laudabiliter retinetur, sed etiam ex obligatione, si vel

talis

talis abstinentiæ votum ritè emissum fuerit, vel intercedat constitutio ad id astringens, aut consuetudo approbata vim legis habens, seruandam esse huiusmodi abstinentiam ferat. Ac proinde tantum abest, vt malè faciant Cartusiani, his maiorum suorum vestigiis in quocunque ægritudinis euentu insistentes, vt potiùs peccarent si secus facerent, & abstinentiam à carnibus ad obsistendũ morbo violarẽt, Admitto peccaturos cum Nauarro [a], Vasque [b], Ioanne de Salas [c], ac Theodoro [d] Petreïo; & præiuerat his omnibus Dionysius Rechelius [e] fusè refellens Gersonem, qui Tractatu dè non esu carnium, pronunciauit Constitutionem Cartusianam de abstinentia à carnibus, esse purè pœnalem: itaut qui eam infringit, ne venialiter quidem delinquat, tametsi deprehensus, multetur. Sicut de aliis Cartusianorum legibus ratum est, qui eas violant non peccare; quia ex mente legislatoris non obligant ad culpam; quamuis vltronea earum transgressio sit obnoxia pœnæ. Subscripsere Gersoni Sanches (si tamen ipsa & non alius,) [f] & Pasqualigus [g]. Sed omnino inhærendum est sententiæ Dionysij Richelij: Nam quamuis admitto in variis Ordinibus dari regulas non obligantes ad culpam, de quibus Sanches [h]; & quamuis gratis darem pro minutis religiosæ disciplinæ obseruationibus, verum esse regulam Cartusianorum ad nullum peccatum

[a] lib. 3. consil. X. de Regular.
[b] 1. 2. d. 162. c. 4. n. 16.
[c] 1. 2. tr. 14. disp. XI. s. 2. n. 17.
[d] ad librum V. Chron. Dorlandi c. 41.
[e] l. de præconio sui Ordinis art. X.
[f] l. 5. consil. cap. 1. dub. 34. num. 2.
[g] de ieiunio decis. 19. n. 4. & decis. 22. n. 2.
[h] l. 6. in decal. c. 4 n. 12.

peccatum obligare; quod de Ordine Prædicatorum S. Thomas tradit, & de Societate IESV Suares, tamen rigor quo vniuersus Ordo Cartusianus abstinentiam carnium seruari mandat, omnino fert iniici obligationem retinendi eam abstinentiam sub pœna peccati, & quidem grauis. Et ex intentione sic obligandi imponitur & acceptatur in Cartusiano Ordine, lex de abstinentia à carnibus, vt testantur graues ex ea familia Patres iuris sui benè periti; & ipsa Statuti verba hoc clamant. Sic enim habetur 2. *p.* Statutorum nouæ collectionis [a]. [Quia secundùm antiquissimam Ordinis nostri consuetudinem à sanctis patribus introductam, omnem esum carnium à proposito nostro abiecimus; statuimus vt quicunque Ordinis nostri professus, huius tam laudabilis institutionis transgressor extiterit, carnes videlicet comedendo, seu alicui personæ Ordinis ministrando, vel comedentibus aut ministrantibus consentiendo, vel non prohibendo, cùm poterit prohibere; si Prior, vel Vicarius, siue Procurator hoc fecerit, ipso facto tanquam professionis suæ calumniator & transgressor, obedientiam perdat, id est, officium suum; & vocibus, & locis debitis, & cæteris obedientiis Ordinis careat in æternum. Si verò simplex monachus, aut alia quæuis persona Ordinis extiterit, voce, loco, & obedientiis carens, perpetuò ad Capituli Generalis voluntatem,

[a] *cap.* 10. §. 14.

tatem, carceri mancipetur.]

17. Num ista redolent immunitatem à culpa, cum sola ad pœnam obligatione inflicta transgressoribus? Num calumniator & transgressor professionis suæ est culpæ expers? Quid quod anno 1254. Capitulum Generale, huius statuti violatores è Religioso cœtu exturbandos edixit? Quam pœnam absque lethali peccato à quopiam incurri, nemo prudens (quantum arbitror), existimarit. Quicquid autem sit de obligatione seruandæ huius abstinentiæ, iniecta ex iure positiuo, per statutum, aut consuetudinem locum legis habentem; nemo non videt, vsum tanta constantia à tot sæculis in vniuerso Ordine retentum, non posse violari absque dispendio communis boni totius sacræ familiæ: atque adeò perspicuum esse debet, violationem illam ex natura rei grauiter sordere, nec solùm reatum ad pœnam subeundam inferre.

18. Nemo igitur si sapiat, sancto huic Ordinis sanctissimi vsui obstrepat: vnaque viros sanctos mortem præ huius moris violatione eligentes, totque eruditos viros, quibus hæc familia semper abundauit, tot insigniter pios Dei seruos huius instituti tenacissimos, tot externos laudum eius nunquam saturos, quos infrà proferemus; ipsam Ecclesiam, non silentio duntaxat & conniuentia, circa tam grauem (vt nugantur,) corruptelam, hactenus vsam,

sed

ſed poſitiua Ordinis eiuſque inſtitutorum comprobatione tam magnificè totieſque ſuffragatam, oſcitantiæ, & fomenti iniquitatis inſimulet. Hanc poſtremam ob cauſam, Arnaldus Villanouanus contrarium placitum vocat *profanum ac redolens Hæreticam prauitatem.* Demiretur vnuſquiſque perfectionem abſtinentiæ in Ordine ſanctiſſimo tot iam ſæcula vigentis; ſi fortè ad eam præ virtutis tenuitate non audet aſſurgere. Recogitet cuius ſpiritus ſit ſenſus contrarius, quod iuuat ex Gerſone audire, poſt trecentos (vt ait,) & octoginta circiter annos, quibus hoc ſtatutum de abſtinentia à carnibus in familiam Cartuſianam vniuerſam inductum eſt, contra aliquorum muſſitationes propugnãte [a].[Horrere(inquit,) de facili abſtinentiam ſolent, qui voluptatibus defluunt, quorum Deus venter eſt, à quibus ſobrietas, auſteritas reputatur, & inculpatur; atque ſua carnalitate & conſuetudine praua, aliorum vitam metientes; iudicant miſerabile, ſuperſtitioſum, indiſcretumque eſſe, corpus attenuare duris ieiuniis, & à cibis abſtinere conceſſis; non aduertentes quàm læta, ſalubris, & ſana; imò & ex conſuetudine, & præſertim ex gratia, quàm facilis & iucunda reddatur deuotorum ſobrietas. Denique iſta eſt vitiorum palma infamis, extrema quoque & impudentiſſima quorundam criminoſorum peruerſitas, ſancta polluere, benè acta calum-

[a] *tractatu de abſtinentia à carnibus.*

niari, & quæ imitari nequeunt, aut non volunt, vituperare; sicque alienæ vitæ reprobationem, suam putant laudationem. Experimur hanc carnalium hominum insaniam, cùm in multis, tum nominatim erga Venerabiles Cartusienses, apud quos reperitur (sicubi in Ecclesia quicquam vestigij reliquerit,) prædicanda illa pristinorum Patrum deuotio, admirabilis feruor, & continentia incredibilis penè. Hos Cartusienses interdum exagitant quidam imbuti sapientia terrena, animali, & Diabolica, asserentes eos contra charitatem negare sibiipsis carnium esum, præsertim tempore infirmitatis. Quorum vox, est vox fastidientium cœlitùs datum manna, suspirantiúmque ad ollas carnium Ægypti.] Haud aliter Arnaldus Villanouanus in istiusmodi osores & oblatratores statuti Cartusiani conclamat, accommodans illis quod in persona Christi à Psalte dictum est; *Aduersùm me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum.*

§. IV.

§. IV.

Noua quæſtio de vſu clyſmatum vel emplaſmatum è carne apud Cartuſianos, & apud quoſuis fideles per quadrageſimam.

OMnia hactenus diſputata, pertinent ad comeſtionem carnium. Sed vt irrequieta ſunt mortalium ingenia, & verè eſt à Philone [a] dictum, ſcientiam puteum quendam eſſe qui non poteſt exhauriri, nouæ ſemper & antiquis incompertæ dubitationes excitantur, cuiuſmodi eſt vna in hoc negotio, an fas ſit Cartuſiano, dummodò declinet comeſtionem carnium, aſſumere clyſteres ex carnium ſucco, quales ægris quibus œſophagus eſt obſtructus ex vſu eſt adhibere. Et idem quæri poſſet de emplaſmatis è carne contuſa vel contrita, appoſitis vmbilico; quæ item ad nonnullam ægrorum ſuſtentationem vſurpantur, cùm œſophagus occluſus eſt, vel ſtomachus nimia nauſea grauatur.

[a] *lib. de ſomn. & l. de plāt. Noë.*

2. Hanc difficultatem, nemo (quod aduerterim,) mouit circa ieiunium Eccleſiaſtica lege indictum, ſiue ad communicandum, ſiue ad delectum ciborum in Quadrageſima, aliiſque ieiunij diebus ex præcepto ſeruandis retinendum; cùm tamen non videatur difficultas omnino

nino contemnenda. Idque vt perspiciatur, supponendum est ex probata Medicis plerisque doctrina, succos è carne per clysmata immissos; (nec dissimilis est emplastrorum vmbilico aut stomacho appositorum ratio;) nutrire posse, & fouere ac roborare deficientem naturam. Negarunt id quidem pauci aliqui, vt Otto Casmannus [a] & Mundella [b], ambo Medici eruditi; id confirmantes ex Galeno [c] qui tradit, cibariis vt nutrire possint vnicum ostium esse os animalis. Negat item Galenus, quicquam esse quod nutrire possit nisi interuentu trium vulgatarum coctionum, quas tamen non potest subire iusculum quod clysmate iniicitur: cùm clysteris iniectio, neque ad ventriculum, neque ad intestinum ieiunum pertingat, & si admodum quis nitatur, fortassis tenuia tantùm intestina perfundat, iuxta Galenum [d].

3. Contrariam sententiam passim cæteris probatam, quod succus clysmate immissus nutrire queat, docent Cardanus [e], Vales. [f] Mercatus [g], Zacutus [h]. Renodæus [i]. Et præiuerant veteres, Cornelius Celsus [k], Oribasius [l], Aetius [m], Auenzoar [n]. Ratio qua hi autores id confirmant, non est inefficax: Nam ventriculus cibi indigus, sugit plerumque, atque prolectat liquores ac succos intestinis immissos;

[a] *lib. 1. Psychol. cap. 12. q. vlt.*
[b] *ep. 10.*
[c] *l. 4. de vsu partium c. 1. & l. 1. de facultat. natur. cap. X.*
[d] *5. Method. cap. XI. & l. 13. cap. 16. ac 4. Aphor. 12.*
[e] *l. 2. contrad. tr. 6 cõtrad. 6.*
[f] *l. 8 controu c. 3.*
[g] *1. ind. 3.*
[h] *lib. 1. histor. 9. dub. 5.*
[i] *l 5. instit. Pharmac. cap. 5.*
[k] *l. 3. c 18.*
[l] *l. 8. cap. 24. & 34.*
[m] *to. 3. ser. 1. cap. 1.*
[n] *l. 1. Theyzir tr. 10. c. 18.*

sos; in quo euentu chylosis atque adeò nutritio, peragi potest in ordinaria chyloseos officina, siue ventriculo. Monstrant veritatem huius doctrinæ qui aliquando materiam per clysma immissam, interueniente vomitu, ore reiecerunt: quod fieri non potuisset, nisi succus immissus ad ventriculum pertigisset. Reiectionis clysmatum per os, testis est Renodæus [a], allegans Galenum [b]. Quinetiam in ipsis intestinis posse chylosin confici, inde suadetur, quod autoré Galeno [c], eadem est ventriculi ac intestinorum substantia, contextusq́ue tunicarum atque temperies. Quidni igitur chylosis, sicut in ventriculo, ita & in intestinis ad quæ clysma pertingit, peragi possit, erítque id longè facilius, si succus iniectus admodùm concoctu facilis sit, cuiusmodi est electarum carnium humor stillatitius; vitella ouorum, & huiusmodi alia. Autore item Galeno [d], venæ mesaraïcæ spargūnt ramos ad varia intestina putà rectum, colon, ıleon, monoculum. Id quod etiam agnoscunt Velasius [e] & alij: At venæ illæ non aliò spectant, quàm vt iecur succum aliquem ex intestinis sugat. Potest igitur αἱμάτωσις peragi, & nutritio per eam iniectionem causari.

4. Quod dictum est de clysmatibus, extendendum proportione est ad emplastra; quæ nutrire posse, agnoscunt Medici. Hos inter Zacutus [f] annotat visum sibi ægrū qui per so-

[a] lib. 5. instit. Pharmaceuticæ cap. 5.
[b] 3. epid. sect. 2. com. 6. & l. 3. de sympt. causis, cap. 2.
[c] lib 4. de vsu part. cap. 17.
[d] lib 6. de Anatom. administr. c. 6.
[e] l. 6. c. 5.
[f] l. 1. hist. med. obseru. XI.

lidum septiduum nullo assumpto cibo durauit solis emplastris nutrientibus assiduè admotis; qui tandem mortem ex eo morbo ingruentem vi illius præsidij euaserit. Nimirum ab emplastris, siue ventriculo, siue vmbilico impositis vi caloris natiui & facultatis attractricis partibus insitæ, aliquid per poros exugitur; quod intromissum, excoqui, & in sanguinem denique verti potest; vnde nutritio existet. Ridet ista Casmannus [a], sed contra testatissimam experientiam, & rationem non incongruam ex eo quem dixi, partium suctu & materiæ prolectatæ subitione per poros: tametsi per se liquet exiguam esse posse hanc nutritionem. Sicut perexigua est materia quæ attrahitur, & via per quam subit. Estque extra dubium multo commodiùs ac pleniùs posse per clysmata idem præstari. Sed quantitatem nutritionis nunc non attendimus, contenti quòd ea via fieri possit. Itaque ratum esto, naturam deficientem, clysmatis & emplastris foueri posse.

[a] *lib. 2. psychol. cap. 11. q. vlt.*

5. Argumenta in contrarium superiùs tacta, sunt planè imbellia. Quod enim assumunt aduersarij, vnicum esse cibariorum ostium, nempe os, in quo cibus primùm commolitur; valet de via communissima cibationis, instituta à natura: non excludit tamen alios nutrimenti aditus arte paratos; cuiusmodi sunt qui enematis vel emplastris captantur. Neque negamus post huiusmodi admotiones succorum

vel emplastrorum, adhibendum esse vulgatum coctionum ternarium. Sed sicut in aliis alimentis quæ ore ingeruntur, post præmissam cibi subactionem & commolitionem in ore, vt minùs sit difficilis concoctio, cibus in chylum, ac deinde in sanguinem versus, deinde viuenti per aggenerationem annectitur: Ita hîc quoque accidere dicimus, etiam cùm succus immissus vel attractus, non pertingit ad ventriculum. Esse enim intestinis quoque vim chylificam, quæ sola ambigua videbatur, suprà monstratum est.

6. His ita constitutis quorum stabilitio ad expeditionem difficultatis propositæ planè necessaria fuit, priúsquam dicam quid Cartusianis fas esse possit circa istiusmodi vsum carnium aliter quàm ore assumptarum, exponam idipsum de aliis, qui sola lege Ecclesiastica, aut priuata per votum ex communi vsu conceptum inducta, astringuntur ad abstinentiam à carnibus. Eaque veluti manuductione, ad decisionem difficultatis circa Cartusianos deueniam. Lex porrò Ecclesiastica de ieiunio, quæ sola in hoc negotio locum habet, vel spectat perceptionem diuinissimæ Eucharistiæ, vel delectum ciborum certo tempore omnibus valentibus indictum ad carnis macerationem, qui est ieiunij finis primarius. Verum est, quòd homo per ieiuniũ ea voluptate priuatur, quam cibus ore mansus & glutitus ingenerat; estque

ea priuatio plerisque lurconibus ac gulæ mancipiis, satis grauis, quibus illecebra comedendi diuinitus prouisa, ne animal ab operatione cæteroqui molesta abhorreat, & cibum magno suo malo respuat; (vt videmus ægris cibi fastidio laborantibus accidere;) mutatur è medio cibationi adiuncto, in cibationis finem; præpostere profectò, atque absurdè: Quamuis itaque verum sit ieiunium inducere eam priuationem voluptatis in gustu, tamen nulla lex Ecclesiastica ieiunium indicens ad huius priuationis inductionem respexit, saltem primariò. Vnde qui cibos ore versaret, & grato sapore se oblectaret, exclusa omni glutitione, non violaret legem Ecclesiasticam de ieiunio seruando: sed quod Ecclesia spectauit mandans ieiunium communioni Eucharistiæ præuium, fuit reuerentia erga corpus Christi; quod non decuit in corpus profanis cibis iam pastum demitti; inferendo cibum cælestem atque diuinum, post cibum materialem atque terrenum. Mandans verò delectum ciborum, spectauit carnis macerationem ac redactionem in seruitutem; ad quem finem opportunissimum est ieiunium: vt ex multis Patribus insigniter demonstrant Peltanus [a], Alfonsus Pisanus [b], Ioannes Medina [c], & Bellarminus [d] qui hunc esse genuinum ac intrinsecum ieiunij Ecclesiastici finem alibi eodem opere docet [e], ex D. Augustino [f].

[a] *l. de ieiunio c. XI.*
[b] *l. de abstinentia præsertim c. 9.*
[c] *Cod. de ieiun. q. 11.*
[d] *l. de ieiun c. XI.*
[e] *l. de ieiun. c. 9.*
[f] *lib. 30. contra Faust. cap. 5.*

7. Nunc

7. Nunc vt ad rem propositam veniam, admitto ieiunium Ecclesiastica lege præceptum ad communionem, non violari assumpto clysmate è carnium iusculo, alioúe quocunque succo, tametsi ad nutriendum accommodato. Ratio est, quia, vt præmisi, lex Ecclesiastica tantùm spectauit reuerentiam corpori Christi debitam, quæ extra supremam necessitatem mortis instantis, aut iniuriæ Sacramento inferendæ, violaretur, si cibus profanus ante cœlestem comederetur: Et præcauendæ grauationi illi corporis à cibo & potu ore perceptis, quæ semper timenda est in esculentorum & poculentorum vsu, non consuleretur nisi absolutè & præcisè vitando omnem prorsus escæ aut potus traiectionem, ne si vel rimula in contrarium pateret, lex breui concideret, & eius omnimoda laxatio subreperet. Minùs enim apti sunt ad orandum & adhęrendum Deo, qui cibum aut potum hauserunt, vt Philo disserit [a]; atque adeò minùs quoque apti sunt ad fructus communionis, vt docet Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum respondens [b], qui allegat Medicos præbentes pharmaca sua ieiunis, vt plus prosint. At hi fines salui sunt, etiamsi iusculum per clysma iniiciatur, aut emplastrum nutriens vmbilico aut ventriculo apponatur. Fines quippè illi, dummodo desit manducatio aut potatio, manent incolumes. Constat autem manducationem & potationem non cerni nisi

[a] *l. de temul.*

[b] *c. 65.*

in esculentorum ac potulentorum traiectione per os & guttur. Itaque solæ illæ cibi ac potus admotiones vetantur communicaturo, non item eæ quæ fierent per clysmata vel emplastra.

8. Obscurius est, an lex præscribens delectum ciborum, excludat similem nutrimenti iniectionem per clysmata & emplastra. Passim enim DD. de ieiunij obligatione disserentes aiunt, eam non cadere nisi in manducationem. At nisi quis nutrimentum ore hauriat, non dicitur *Manducare*. Quod autem succus per clysma iniectus, vel ex emplastro attractus, nutriat; per accidẽs est, nec à legislatore attentum. Sicut vini potus, de communi sententia Doctorum, non vetatur in ieiunio; & tamen certum est, vinum posse nutrire. Vidimusque non ita pridem, adolescentem Romanum, qui calculos & lapillos immensos glutiens, deiiciensque in stomachum, nutriebatur vberiore vini potatione. Igitur non est attendendum, an similiter succus clystere iniectus, vel suctus ex emplastro, valeat ad nutritionem. Imò ex vini exemplo, videtur etiam euinci mentem Ecclesiæ, indicentis ciborum delectum, non spectasse quencunque vsum rei idoneæ proritare corporis lasciuiam; (id quod vinum facit manifestissimè), Sed tantùm spectasse curam carnis, tantùm per quædam esculenta & incentiua libidinum, præcisè per manducationem ad

admota. Quo constituto, nihil est quod obesse possit vsui clysmatum & emplastrorum quorumcunque tempore ieiunij, & vigente lege de ciborum delectu.

9. Nihilominus verius videtur, legem Ecclesiasticam, de qua agimus, interdicere fidelibus quos ad ciborum delectum obstringit, vsum clysmatum è puro iusculo carnium, & vsum emplastrorum nutrientium, adhibitum in finem curandæ cuticulæ in fraudem legis. Restringo me ad purum iusculum; quia si aliquis extra grauem necessitatem laxandæ legi de ciborum delectu sufficientem, ex aliquo alio fine quàm curandæ cuticulæ, vsurparet clysma, in quo ex Medicorum scitis, necessaria esset aliqua iusculi è carnibus admistio, nihil timendum esset violationi legis de ciborum delectu. Imò qui tale quid ore sumeret ex Medici præscripto, ad finem alicuius curationis ab incommodo, etiamsi non graui, quodque ad laxandam legem de ciborum delectu non sufficeret, nequaquam reus esset violatæ illius legis. Sicut qui in pharmaco assumit Mumiam, non eam tantùm quæ ex tabo & sanie cadauerosa coaluit, sed illam etiã quæ ex ipsorum cadauerum corrupta carne existit, & à quibusdam malè feriatis Medicis ægro, (horrendum dictu!) per os haurienda præscribitur, immista aliis partiariis pharmaci materiis; nequaquam haberetur reus violatæ legis de seruando ciborum

delectu. Tum quia huiusmodi partiaria materia cęteris immista, minimum quid est. At de minimis non curat Prætor; Tum quia ea assumptio partiariæ materiæ, non pugnat contra finem legis Ecclesiasticæ de ciborum delectu, quæ spectat macerationem carnis, & lasciuiæ compressionem: cui fini vix ac ne vix quidem, officit ea assumptio carnis in materiæ partem cedentis, cùm pharmacum conficitur, & idem esset de iusculo, non totam clysmatis materiam præstante.

10. At cùm iusculum è carnibus, est tota clysmatis materia, vt statuatur an eius vsus sit contra legem mandantem ciborum delectum, spectandus est finis ex quo clysma vsurpatur. Et si quidem sumatur purè vt medicina, nihil est quod vetet salua lege Ecclesiastica vti huiuscemodi clysmate. Est enim in re medica multiplex clysmatum vsus; puta ad proritandam vim excretoriam intestinorum iusto pigriorem, ad discutiendos flatus, ad emolliendam ventris duritiem, ad leuamen alicuius partis afflictæ. Vt enim ait Celsus [a], [Ex ventre suppresso oriuntur inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque superioris partis mala increscunt.] Si igitur caput grauetur, oculi lippiant, fauces stranguria, pectus suffocatione, renes inflammatione diuexentur: si vesicam disuria vel ischuria torqueat, si appetentia cibi prosternatur, & ad alios similes vsus omnino

[a] *l.1.c.8.*

omnino multos, opportunissimus est clysmatum vsus, vt est apud Paulum [a], & Langium [b]: qui ex Herodoto in Euterpe obseruat, sapientes Ægyptios, tuendæ sanitatis gratia, triduo mensibus singulis, clysmata sibi adhibuisse. Vnde si clysma ex puro iusculo carnium, ad aliquem è propositis finibus assumeretur, quo tempore vrget lex ieiunij, nihil idcircò contra legem de ciborum delectu admitteretur.

[a] *lib. 1. cap. 44.*
[b] *lib. 1. epist. 80.*

11. Si verò clysma è puro carnium iusculo assumeretur, non ad medicinam, & aliquem è propositis clysmatum finibus assequendum; sed ad carnem in fraudem legis mulcendam, eiusque lasciuiam fouendam; tunc existimarim peccari contra legem de seruando ciborum delectu. Nam & copiosa materia vetita potest apponi, præsertim per iterationem ac frequentationem: & potest offici fini legis de ciborum delectu, quia inde corporis lasciuia potest incendi, concalefacta per huiusmodi nutrimentum carne, & ad petulantiam commota. Et quod de clysmate dixi, æquè dicendum est de emplastro è carnibus contusis, & petita inde nutritione: Quanquam quoad emplastrum, paucitas materiæ quæ inde sugi potest, valdè tenuaret peccatum, itavt vix ad mortalem culpam posset sufficere seclusa conscientia errante.

12. Nec rationes in contrarium adductæ, sunt reuerà solidæ. Tametsi enim lex Ecclesia-

stica

stica de ciborum delectu, spectato verborum cortice, interdicit duntaxat certorum ciborum vsu, quem DD. accipunt de manducatione; tamen spectando animam legis quæ fini est admetienda, sub illis verbis æquè continetur interdictum omnis illius nutrimenti ex materia vetita, (puta ex carnibus;) quod æquè sufficiens sit ad concitandam libidinem, etiamsi non ingeratur per os, sed alia via. Itaut huiusmodi vsus carnei iusculi vel emplastri, dici possit æquiualens manducatio carnium. Et reuera Canones præscribentes ieiunium, non mandant nisi ieiunium; neque expresse dicunt & in actu signato, (saltem vt plurimùm,) non esse manducandos certos cibos; sed DD. eam glossam adhibent, interpretantes quid sit ieiunium imperatum. Vnde quia vsus ordinarius soluendi ieiunium indictum, est per manducationem certorum ciborum carnis lasciuiam fouentium, non solent exprimere quod in ieiunio vetatur, nisi per vocem *manducationis* talium ciborum. Reipsa tamen, non excludunt, neque possunt excludere sumptionem cuiusuis alterius æquè concitantis petulantiam corporis, quam Ecclesia per legem ieiunij frænare contendit. Vnde ea sumptio, etiamsi non facta per os, est æquiualenter manducatio vetita.

13. Vrgebatur in contrarium potus vini, ad nutriendum assumptus, non ad sedandam sitim,

quem

quem ieiunio officere negant Ioannes Sanches [a], Pasqualigus in tractatione de ieiunio, & alij: Quamuis certum sit vinum æquè posse nutrire & carnem incendere, præsertim si largiùs hauriatur, & non lymphatum, ac clysma è carnium iusculo copioso. Mihi ob hanc paritatem, potus vini de industria ad roborandam & vegetandam carnem assumptus, ab homine legibus ieiunij astricto, videtur esse contra Ecclesiasticam legem de ciborum delectu: Id quod tradunt quoque, Richardus [b], Rosella [c], D. Antoninus [d], Ioannes Medina [e]; qui rectè obseruat, talem vini potum, fore in fraudem legis. Neque enim sumitur ad tollendam sitim, sed per modum refectionis & æquiualentis comestionis. At qui in fraudem legis aliquid facit, non minùs peccat, quàm si directè legem impeteret, tametsi saluis verbis legis, eius sententiam circumueniat, vt habetur *l. contra legem, & lege sequenti, ff. de legibus.* Fit sanè contra legem, cùm id fit quod ipsa noluit fieri, etiamsi spectato extimo verborum cortice, id non vetuerit. Id autem manifestè contingit in re præsenti: cùm vinum sumatur vt refectio, non ignorata vi eius ad carnis petulantiam promouendam; quæ causa erat, cur olim vini vsus per tempus ieiunij vetaretur coniunctim cum esu carnium, vt videre est apud Clementem Romanum [f]. S. Basilium in panegyrico de ieiunio [g], & S. Epiphanium [h]

M dispu

[a] *disp. 51. selecta num. 2.*

[b] *in 4. d. 16. art. 3. q. 2.*

[c] *V. ieiuniũ n. 5.*

[d] *2. p. tit. 6. cap. 2. §. 9.*

[e] *Cod. de ieiunio q XI. §.* in his tamen.

[f] *5. const. cap. 19.*

[g] *hom. 1. de ieiun.*

[h] *hæresi 75.*

disputantem contra Aërium rursúsque in calce Panarij; Theophilum Alexandr [a]. Nec non apud Theodoretum in calce libri diuin.decret. & apud Timotheum Alexandrinũ in Respon-sis Canon [b].vbi Balsamon.Ratum itaque esto, non licere fidelibus, vinum per modum refe-ctionis assumere diebus ieiunij; neque iuscula è carnibus vel emplastra nutrientia sibi admo-uere, ex fine captandæ inde nutritionis.

[a] *lib.3. Pasch.*

[b] *inter-rog.8.*

14. Hæc si de aliis omnibus dicuntur per dies ieiunij, multo magis asserenda sunt de to-ta vita Cartusiani, quem lex priuata prohibet vti carnibus, etiam ad medendum. Esset enim subdola & clancularia suffossio legis illius, si nutritio per carnes clysmatibus aut emplastris meditatò, & copiosè quippè ex totali materia admotas curaretur; & carnis maceratio ac re-pressio intenta per legem vetantem esum car-nium, ad eum modum eluderetur; Et quia Cartusiani, vt finis ille abstinentiæ à carnibus perstet inuiolatus & incolumis, ne pretextu quidem medendi, admittunt carnes, ex lege ipsorum priuata præcauente laxationem absti-nentię à carnibus facilè consequuturã, si dispen-satio in aliquo euentu, prætexta ægritudinis necessitate haberet locum; propterea aliter de Cartusiano statuendum est quoad vsum clys-matum è puro iusculo carnium, vel emplastro-rum è carnibus contritis. Nam alius qui ea priuata lege non tenetur, potest quolibet tem-pore,

pore, etiam ieiuniorum ipſum obligantium, aſſumere clyſmata & emplaſtra prædicta, ſi Medicus cenſuerit ea prodeſſe poſſe ad medendum, quamuis ægritudo non ſit tanta, vt poſſet à lege ieiunij iuſtam excuſationem ſubminiſtrare. Nutritio autem quæ conſequeretur ex tali vſu clyſmatis vel emplaſtri, erit per accidens, nec plus curabitur, quàm ſi non conſequeretur. At Cartuſiani longè alia eſt ratio: nam vi legis priuatæ, amouit à ſe facultatem vtendi tali remedio ad cuiuſcũque ægritudinis ſubleuationem; nec niſi omni alio cibo deficiente, poteſt talia clyſmata, aut emplaſtra ex pura carne aſſumere. Tantum in ſuprema neceſſitate, in qua alioqui fame moriendum eſſet ob cuiuſuis aliméti penuriam, poſſet clyſmata illa aut emplaſtra aſſumere, per modum non medicinæ, ſed alimenti, ſic ibus alius deeſſet, nec iſte alia via inferri poſſet. Quod tamen ſuperiùs dixi de omnibus fidelibus tempore Quadrageſimæ, ad Cartuſianos per totam vitam extendi, nihil eſt quod vetet. Nimirum non eſſe quod ſcrupulo tangantur, de pauxillis carnibus, quæ in quibuſdam medicamentis admiſtæ aliis materiis adhibentur, adeóque tranſmutantur, vt ſicut carnium nomen abiiciunt, ita & naturam priſtinam exuiſſe videantur. De his non oportet Cartuſianum eſſe ſollicitum, quia de minimis non curat Prætor, nec ius obligans ad carnium abſtinen-

tiam, inductum est cum extensione ad tales materias.

§. V.

De Cartusiano, mortem ab impio intentatam, esui carnium præeligente.

1. DIxi de abstinentia à carnibus in discrimine à morbo, quid iuris fuerit, si vis inimica, putà Caluiniana aut Lutherana, in odium sancti huius moris, intentata morte, ad esum carnium adigat Cartusianum, difficultas est non huic negotio peculiaris, sed omnibus æquè sanctis moribus & piis obseruationibus lege humana indictis communis, quàm latè excutiunt Sanches [a], Valentia [b], Suares [c], Salas [d], Baldellus [e], & alij quos hi proferunt. Et satis recepta ac reuera amplectenda enodatio difficultatis fert, nullam legem humanam (idemque est de præcepto humano, etiam Ecclesiastico,) obligare per se ad sui obseruationem, imminente mortis discrimine, quod per accidens cum ea obseruatione ac lege coniungatur. Nam vel potestas humana in euentu proposito non porrigitur ad obstringendum subditos ingruente tanto periculo: vel si porrigitur non est tamen suauis ac prudentis Superiorum prouidentiæ, velle suam potestatem in talibus adiunctis expromere. Per accidens tamen, ob concur

[a] *l.1. in decalog. cap.18.*
[b] *1.2.d. 7.q.5. p.6.*
[c] *l.3.de legib. c 30.*
[d] *tr.14. in 1.2. d. XI. s. XI.*
[e] *l.5. sũmæ d.26.*

concursum legis aut præcepti naturalis, vel diuini vrgentis non obstante mortis periculo, posset quis obligari ad mortis discrimen negligendum, vt obseruationem sola humana lege aut præcepto indictam, retineret. Sic sacerdos excommunicatus, ac proinde prohibitus ab Ecclesia administratione Sacramentorum, quãuis intentata morte nisi sacrum faciat, potest obire diuinam Liturgiam, secluso statu peccati mortalis, quia prohibitio sacrificandi est purè humana; tamen eodem metu impulsus ad absoluendum sacramentaliter noxium, tenetur mortem præeligere priusquam contra diuinam legem de non irritando Pœnitentiæ Sacramento, absoluat absque iurisdictione pœnitentem. Et ita Suares [a].

[a] t.5.3.p. d.6.s.3. n.3

2. In re igitur proposita dicendum est Cartusianum non adeò arctè astringi suæ consuetudinis vel statuti præcepto, quin intentata morte, ni carnes comedat, possit eo cibo vesci innoxius, & absque labe peccati. Si tamen is metus iniiceretur in ludibrium Religionis Catholicæ, aut ad vilipensionem sacri Instituti talem obseruationem retinentis, nullis minis, aut etiam malis cedendum esset, quia in eo euentu vltra legem humanam de ea obseruatione retinenda, facilè in tanto discrimine laxandam, concurrit præceptum virtutis superioris, quod indemne seruandum est, vel si mors esset irroganda nisi violetur. Hoc animo erat ille Prior

Vallis claræ ad Burdegalam ſub annum 1575. generosè ſpernens ab Hæreticis intentatum perpetuum carcerem, niſi carnes ederet. Iuſtus Gondanus Brielæ in Batauia anno 1572. ab Oumalio Canonico Apoſtata adactus ad bibendum in menſa profana ex ſacro calice ſacrilegè direpto, necnon ad carnes contra Cartuſianam ſuperſtitionem, (ſic carneus ille blatero appellabat ſanctum morem à carnibus abſtinendi,) ni pareret illicò iugulandus, maluit ad furcam abripi, & de alta informis lethi trabe pendere, quàm religionem ſacrorum vaſorum,& ſacri inſtituti morem peſſundare. Quãquam ad ipſum patibuli pedem inter orandum efflauit animam, nec niſi cadauer exanime in furcam eſt ſublatum.

3. Monſtrum ſceleris horrendum, informe, immane cui vix Neronis, Domitiani, Decij, Diocletiani ſæcula quippiam atrocitate par tulerunt, quod circa hoc negotium occurſat animo, referre parantem moratur contrucidata verecundia, moratur exaggerata ſuprà omnem cumulum crudelitas, moratur conculcata immaniter religio. Quod in mitiore facto dixit S. Baſilius [a] arbitror ingemuiſſe Dei leges,& Religionem ipſam alta ſuſpiria duxiſſe. Quod hoc ſceleris portentum! Tametſi verenda eſt aëris huius ex tantæ atrocitatis nuda recitatione inceſtatio, & ad tantam truculentiam, quantam vix Diabolus per ſeipſum expromeret, horror

[a] ep.185.

ror pilos inuadit, & digitos stupor; tamen audendum est, ne virtus quæ per tantum scelus exerta est, silentio obruta iaceat. Adhuc hæreo & horreo. Quid ad scelus non tuum concidis anime? Fremens irruo in narrationem, quando nec premere eam, nec placidè efferre licet.

4. Carolo IX. Rege, cùm omnia in Gallia pro Religione bellis intestinis arderent, sub annum 1570. Cartusia Bonæ fidei in Velaunis occupata per fraudem est à Charrerio, impio hæretico, & Iudæ traditoris germano: sic enim iure est denominandus, quandoquidem specie familiaritatis cum Priore admissus, illicò conclusione ostij per vim impedita, ponè latentem turmam quinquaginta eoque ampliùs militum, subita impressione in cœnobium induxit. Primum furorem Prior ipse Antonius Chamardus excepit, subeuntibus hostiliter sectariis, sclopi displosione interemptus. Ex aliis hæretico gladio trucidatis, charta Capituli Generalis anni 1570. nominat Ioannem Charnasac & Petrum Fesandier sacerdotes. Testium tamen idoneorum, qui eo tempore vixerant, assertione, V. P. Desmarins, nuper cùm in eo Cœnobio Priorem ageret, comperit; cùm alios cecidisse; tum nominatim Domnum Laurẽtium antiquæ virtutis sacerdotem, ab hæreticis ad diuturnius martyrium aliquandiu seruatum esse. Vt enim sup-

plicationes quas Catholici obeunt ſubſannarent, quoties explorabant excubias, ſeruum Dei, nudum (proh inuerecundiam Caluinianam!) Iubebant præcedere, haſtam pro cruce præferentem : eundem ad inſtructum carnibus verutum circumagendum, propudioſa illa nuditate miſerandum, ſolo (vt cum Clemente Stromateo dicam) virtutis amictu indutum, adhibebant. Cumque ad eam eſcam participandam cui torrendæ nauabat operam, importunè vrgeretur, quà ſcommatis, quà oſtentata carnium ſuauitate, quà minis, ſeruus autem Dei cauſatus ſuum inſtitutum, & deſponſam Deo abſtinentiam, conſtantiſſimè abnueret; ad extremum ab impiis carnes quas tantopere refugeret haud dubiè ab eo veneno corruptas? in ipſorum exitium, obtendentibus, comprehenſus, & ſcamno validè alligatus, poſt multam petulantiam in eum expromptam, & exprobratum Catholiciſmi cibos à Deo creatos reſpuentis ſuperſtitioſum vſum, (ſic volebant) poſt Monaſticam ſtoliditatem, ipſis quidem iudicibus Manichæiſmi inſtauratricem omnibus lædoriis proſciſſam; intentant mortem ni pareat, & carnes oblatas in cibum aſſumat. Sed qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion. Pius Monachus Laurentij nomen meritiſſimò præferens, cognominis ſui imitatione, vt Marpeſia cautes, ad hos fluctus verborum & irarum, ac minarum ſpumas, per-

ſtat inconcuſſus. Nihil tigris aut panthera quæpiam diræ feritatis expromeret, quod ab iſtis ſatanæ emiſſariis non ſit exertum. Verè, ſed in ſeipſum diſertus, Iulianus Imperator conteſtari ſolitus erat, Chriſtianos vbi degenerarint, omnes belluas feritate ſuperare. Ex ſicariorum turma vnus, aſtricti ſcamno ſerui Dei, (pax ſit oculis & auribus,) prehenſam partem qua vir erat, ab imis radicibus ferro demetit, & ſemiuiui hominis ori ingerens, infandum triumphum ſibi canit, non abſque immani per reliquam turmam applauſu: quàm intra non lõgum tempus iuſto Dei iudicio improuiſam opprimens Rochebonne Anicienſis præfectus, internecione deleuit; & meritiſſimò quidem. Nam quis tam indignam honeſtatis cladem & truculentiam fando explicet. Os ſacrum quod Chriſti corpus toties confecerat, toties exceperat, tam aſſiduè à tot annis in Dei laudes ſolutum, toties ſanctorũ pignorum baſiis ſanctificatum, ſic deturpari! Sic illudi religioni! ſic proteri communem naturam, & calcari humanitatem. Inuentum eſt ſcelus, cui deteſtando nulla par poſſit eſſe facundia. At ſimul ſplenduit eximia virtus, & ſanctorum inſtitutorum tenacitas in homine verè BONÆ FIDEI, quam nulla laudatio exæquet, nedum ſuperet. Deus optimus maximus infodi ſerui ſui gloriam non eſt paſſus. Corpus ſacrum, poſt menſes decem refoſſum, depre-

hensum est planè incorruptum, sanguine perinde ac si tum primùm cædes fieret, puro & tabis experte. Egressi ex his salebris, reueniamus ad planum.

§. VI.

Calumnia alia, damnans inutilitatis S. Brunonem ac socios, ob tantam à sæculo secessionem.

1. RElíqua est extrema calumnia, inutilitatis ad communem vitam, cuius SS. Stylitas insimularunt nefanda capita duo, Illyricus centuriarum Magdeburgensium consarcinator, atque Caluinus, vt est apud Alanum Copum, imò Nicolaum Harpsfeldium [a], attigitque etiam Bellarminus [b]. Cauillãtur enim, eos veluti aues, seiunctos ab ima terrigenarum sede, vt sibi solis cauerent ac viuerent, aërem incoluisse. Qua ipsa inutilitatis calumnia, pulsatos esse ab animalibus hominibus .SS. Anachoretas, propter semotionem à turbis, autor est S. Augustinus [c]. Eiusdem quoque labis insimulantur Cartusiani, vt scribit Petrus Sutoris [d], & Annæus Robertus [e]; qui meritò celebrat, hanc (vt ait,) laudandam desidiam, & otium omni negotio venerabilius; negatque posse inutiles videri Reipublicæ, quorum orationibus stat. Imperator certè Constan

[a] *dial. 2. c. 18.*
[b] *lib. de Monachis cap. 39.*
[c] *lib. de mor. eccles. c. 31.*
[d] *lib. 2. de vit. Cartus. tr. 2. l. 2. pag. mihi 407.*
[e] *l. 2. rerum iudicatarũ c. 2.*

Constantius [a] rescribebat sapientissimè, Rempublicam magis religionibus, hoc est Religiosorum virorum suffragiis, quàm officiis & labore corporis, & sudore constare. Et idem agnoscit Iustinianus *Nouella* 42. *sub finem*. Prudens ac volens dimitto, quæ huc aduocari possent ex opere Franc. Petrarchæ de vita solitaria, & alio opere de otio Religiosorum. Nec eas vtilitates appendere placet, à quibus Petrus Sutoris [b], celebrat Cartusiense institutum, & intortam in illud, inertiæ & inutilitatis calumniam refellit. Multus enim est in Exscriptorum labore commendando, allegato Gersone, qui integram lucubrationem laudi scriptorum addixit; id quod etiam fecit Ioannes Trithemius, & bene item Ioannes de Indagine [c]. Verùm quod is labor, inter Monachos olim admodum frequens nunc post excogitatam calchographiam ferè euanuerit, minùs opportuna hoc tempore esse videtur inde petita calumniæ propositæ reiectio.

[a] *l. 16. de episc. & cleric. in Cod. Theod.*

[b] *capite illo 2.*

[c] *l. 1. de exerc. Cartus. c. 13.*

2. Sed neque eò confugiendum videtur, quò Gerson [d] ista excutiens, primum se recipit; affirmans, sicut peccator Deum offendendo luxat quodammodò vniuersam hominum communitatem, quæ est velut vnum corpus, quantulacunque vel vnicæ partis oblæsione recipiens nocumentum: sic hominem pium è contrario, cùm sanctè vitam exigit, toti hominum communitati esse fructuosum. Hoc nimis

[d] *l. 3 de consolat. Theol. prosa quarta.*

mis longè petitum videtur; atque adeò dimittendum. Neque enim nisi obiectiuè mouendo Deum, ac prorsus ignorans proficit aliis, qui eo tantùm modo prodest, vt dictum est tractando literas fraternitatis.

3. Commodiùs itaque posteriore loco Gerso prosa illa quarta, adducit ad hoc negotium insignes fructus orationis fusæ à viris solitariis, inter quos eminent Cartusiani. [Vis (inquit) scire quantum segregatus & orans, sit vtilis? Moysem orantem dum pugnaret inspicito. Denique quis nesciat, vitia efficaciùs oratione quã occupatione vinci? solitarius verò liberiùs orat quàm occupatus. Tolle orationes timentium Deum? quid proderit obsecro labor fatigantium se, vel prædicando, vel monendo, vel corrigendo; Quin Medicos etiam monet Sapiens, orare vt opera sua dirigat Deus. Penset ergo solitarius, quantum potest, corrigere delinquentes absens & tacens si benè vixerit & orauerit.] Quid quod non raro Cartusienses, & sanctis alloquiis & fortibus monitis scripto comprehensis, multùm vtilitatis conferunt proximis? Gerardus cognomento Magnus, virtutibus maximus, cuius gesta sanè eximia Thomas Kempensis descripsit, cùm in castris vanitatis militaret, piis alloquiis Prioris Cartusianorum Arnemensium; Christo se dedidit & euasit in virtutum omnium simulachrum. Parænenses variæ Dionysij Cartusiani quibus

variorum

variorum statuum personas, liberè syncerèque admonuit officij, non tunc tantùm fuere fructuosæ, sed nunc etiam cùm leguntur, vberrimos fructus procreant.

4. Optima item ratio iuuandi proximum, locum habuit circa S.Brunonem & socios, sicut olim locum habuerat circa Stylitas Orientales. Incredibile enim est, quantum commoueant proximum ad omne arduum opus virtutis, exempla fortia Sanctorum, vt sæpè ac egregiè tradit S. Gregorius, præsertim [a] circa illud, *Instauras testes tuos contra me.* Et ad illud, *Lunam incedentem clarè* [b] Rursusque [c] ad illud, *vt veniat ad Deum in iudicium.* Necnon [d] exponens *stellas pluuiæ*; Et [e] in illud *quis tetendit super eam lineam?* Optimè [f] tractans *partus ibicum in petris.* Stylitæ ergo Orientales obiectu tantæ virtutis, mirum quantas animarum conuersiones efficiebant, vt disertè de Simeone Stylita ait Antonius [g] vitæ scriptor. Similiter autē Occidentales Columnarij, S.Bruno & socij incredibile est quantos animorum motus excitarint. Et proportione idem est de posteris quo nihil opportunius ad remouendam hanc in qua versantur inutilitatis calumniam.

[a] *lib. 9. mor. cap. 43.*
[b] *lib. 22. mor c.7.*
[c] *lib. 25. mor. à cap. 6.*
[d] *lib. 27. cap. 6.*
[e] *lib. 28. c. XI.*
[f] *lib. 30. c. 18.*
[g] *cap. 5.*

5. Audiendus propè incredibilia narrans Guibertus Abbas Nouigenti in opere de vita sua, vbi extraordinariam animorum commotionem, qua cœnobia omnia ditata sunt, refert in excitatos exemplo conuersionis S. Bru-

nonis ac sociorum, omnis generis fideles. Eius ergo & sociorum secessione descripta, subdit Guibertus. [Hæ personæ conuersionis tunc temporis extulere primordia: cui cohæsere continuò virorum fœminarumque greges, omnis protinus ordo concurrit. Quid de ætatibus loquar, cùm decennes & vndennes infantuli senilia meditarentur, & multò castigatiora gererent quàm ætatula pateretur? Fiebat in illis conuersionibus, quod in antiquis fieri solebat Martyribus, vt maior in imbecillibus, quàm in illis in quibus æuitatis & scientiæ floreret authoritas. Cùm ergo nusquam nisi in vetustissimis Monasteriis, Monachorum haberetur aliquorum sedes, cœperunt vbique loci, noua construi, & vndecunque confluentibus magni alimentorum redditus adhiberi. Quibus facultas non aderat vt grandiuscula fabricarēt, alij binis, alij quaternis, alij quot poterant alendis fratribus, domos ac victualia componebant. Vnde factum est, vt in villis, oppidis, vrbibus, atque præsidiis, imò etiam ipsis saltibus atque agris, Monachorum quaquauersum sese exercendo, deliciarum repentè feruere viderentur examina: eaque loca diuino nomine & sanctorum cultibus emicarent, in quibus & lustra ferarum, & spelæa latronum extiterant. Affectabat itaque spontaneam subire pauperiem, tot exemplis circumcincta nobilitas; & cœnobia quæ subibat,

rebus

rebus à se contemptis infarciens, aliis etiam ad hæc ipsa trahendis, pia semper veneratione tendebat. At fœminæ itidem insignes, maritorum celebrium iugalitate deserta, vel à piis cordibus liberorum caritudine abstenta, collatis inibi opibus, Ecclesiasticis se stipẽdiis contradebant. Qui verò, vel quæ, non poterant rebus ad integrum abrenunciare possessis, eos qui abrenunciauerant crebris substantiarum suarum largitionibus sustentabant. Ecclesias & altaria, multa iucundissimorum munerum oblatione circumdabant, & orationes ac piè viuendi modum, quem tales imitando exequi non poterant, talia facientes propriis ad id faciendum iuuando substantiis, inquantum licuerat, exæquare studebant. Vnde contigit, vt his temporibus, & multitudine dationum & dantium, imò magis solutis ad hoc propositi venientium, Ecclesiarum habitatores multimoda sua procuratione iuuantium, in tantum promouerentur cœnobia, vt quotidiana ab illis qui tunc florebant statibus, per succrescentium modernorum nequitiam, videantur incidere detrimenta. Iam nunc enim (proh dolor!) quæ huiusmodi affectione permoti, locis sacris contulere parentes; aut penitus subtrahunt, aut crebras redemptiones exigere non desistunt filij à patrum voluntatibus vsquequaque degeneres.]

6. Hæc Guibertus aliquanto post S. Brunonem;

nem; ex quibus patet obstructum esse os loquentium iniqua, & obiicientium S. Brunoni ac sociis inutilitatem; cùm prædicatio eorum muta, & per exemplum monstrans viam cæli non esse qualem sibi fingunt molliculi; plus profecerit Ecclesiæ Dei, & plura in eam spiritualia & temporalia bona intulerit, excitata ad summam sanctimoniam omni ætate, conditione, ac sexu, quàm innumera æra sonantia & cymbala tinnientia, multis sæculis effecerint, quamuis non grauentur calumnia inutilitatis. Posteros S.Brunonis è prima (vt ita dicam) generatione, fuisse Ecclesiæ vtilissimos suo exemplo, Guillelmus Abbas S.Theodorici, informans Fratres de monte Dei, his verbis testatur. Vestra simplicitas iam multos prouocat ad æmulationem. Vestra sufficientissima & altissima paupertas, iam multorum confundit cupiditatem; vestrum secretum, iam earum rerum quæ tumultum faciunt vel facere videntur, pluribus incutit horrorem.] Qui ab istis nati sunt, vsque ad hodiernam generationem quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob, non desciuerunt à Patrum moribus; atque adeò non dissimiles fructus important Ecclesiæ; proindeque malignè ac peruersè calumnia inutilitatis grauarentur. Abundamus exemplis recentioris memoriæ, ac etiam nostræ. Scio binos è Germania Catusianos, non ita pridem cùm Cartusiam Conuẽtus

plenarij

plenarij causa peterent, in taberna diuersoria accuratè obseruatos à duobus è pusillo Caluini grege; cùm de nocte ad collaudandum Deum surrexissent eam fecisse in Hæreticorum illorum pectoribus sementem pietatis, è qua mox extiterint fruges Deo acceptissimæ, regressionis ad Ecclesiam Catholicam,& piæ in ea vitæ deinceps.

7. Benedicta anima Francisci de Sales Gebennensium Antistitis,qui veluti sol refulsit in templo Dei, exemplum nobis nuperum in hanc rem subministrat, quod præterire religioni duxerim. In opere de amore Dei[a], quod ille (vt de Basilio aiebat Nazianzenus) intincto in Spiritus pyxidem calamo exarauit, testatur hic Inalpinus Borromæus, fuisse suo tempore Parisiis adolescentes duos, quorum vnus Catholicus, Hæreticus alter, infelici societate nexi, in S. Iacobi suburbio, nocte quadam cùm in cubilibus & impudicitiis volutarentur,inaudisse æs campanum,è vicina Cartusia, ad nocturnas excubias & pangendas Deo laudes euocans S. Brunonis familiam. Percontatus de Catholico socio sectarius, ecquid sonus ille æris campani renunciaret; didicit exciri Cartusianos ad pensum diuini officij persoluendum, quod Catholicus facere eos dixit omnino piè, perinde ac in cælo beati Angeli. Exclamans ad hæc verba sectarius, tactus dolore cordis intrinsecùs, O

[a] *lib.* 8. *cap.*10.

N Deus,

Deus, quantum ſtudia noſtra ab illorum ſeruorum Dei ſtudiis ſeiunguntur! Obeunt illi Angelicum munus: nos in volutabris noſtris obbruteſcimus, de hominum gradu exturbati. Die conſequenti, volens ipſe ſuis oculis vſurpare, rei quam à ſocio acceperat veritatem, Cartuſiam ſuburbio adiacentem petit; & Odeum ſubiens, vbi Cartuſianos Patres vidit ſubſelliis inſiſtentes, non ſecus ac in anconibus ſtatuas, niſi cùm ex ſacri ritus præſcripto, vel de geniculis adorare, vel ſupplices curuari, aut deiici oporteret, obſtupuit: & non habens vltra ſpiritum, pluraque multò quàm à ſocio inaudierat, à ſe oculis vſurpata gratulatus, eiurandi Caluini, & ad Romanam fidei profeſſionem tranſmigrandi conſilium iniit: & abſque comperendinatione, Deo per ſeruorum ſuorum exemplum illicienti, obaudiens fuit. Tantum potuit muta illa prædicatio, cuius efficaciam non ſolus ille expertus eſt. Comperta dico. Nam omnino multos variis locis ad hanc Cartuſianorum diuinis officiis diſtentorum obiectiuam, (vt ſic loquar,) nec verbis, ſed factis & exemplis intentiſſimæ in Deum pietatis comprehenſam concionem, mutaſſe mentem; vel ſi non improbatæ vitæ erant, ad maiores in virtutibus progreſſiones faciendas excitatos eſſe; imprimiſque pietate & amore Numinis incaluiſſe; res eſt explorata. Eorum verò ſancta mutatio, Chryſopocia

cia pretiosior, & iure omni optabilior, ad exempla per Cartusianos exhibita consequens, mentionem impingit blateronibus illis, qui inutilitatis insimulare audent Cartusianos, quia vt plurimum de suggesto non tonant, vel egerendis conscientiarum sterquiliniis dant operam; quod faciunt Ecclesiæ sociarij, seu vt Blesensis barbarè dixit, *Curatores*. An verò radix, quia latet, nec nisi clam, arbori vniuersæ succum vitæ subministrat, inutilitatis damnatur? Tolle radices, & arbor exarescet.

PVNCTVM VIII.

Communis S. Brunoni ac priscis Stylitis, descensus ex obedientia, vel ob vtilitatem publicam.

1. NOn adeò tenaciter alligabantur columnis suis Orientales Stylitæ, quin, si aliud obedientia vel publica vtilitas posceret, parati essent è columna desilire. Notum quod de S. Simeone Stylita tanquã singulare prodit Euagrius [a], cùm Patres eremi ad inusitatam eius vitæ rationem hærerent, misisse qui explorarent, essétne ex Deo illud consilium. Explorandi autem modum fuisse, vt iuberetur descendere, & si quidem comparatus animo fuisset ad iussa capessenda, sibi permitteretur: obsir

[a] 1. *hist.* c. 13.

PVNCT.8. *S.Brunonis è columna sua descensus ex obedientia.*

obfirmatus verò in sententia, vel inuitus exturbaretur è columna. Simeon, vt erat humillimus, ad primam nuntij vocem pedem extulit; absque refragatione excensurus, nisi hærere iussus esset, dato tam luculento simplicis obedientiæ indicio. S. Danielem Stylitam, Basilisco Tyranno Eutychiano aduersùs fidem Catholicam sibilante, euocatum ab Acacio Constantinopolitano ad causam religionis ac fidei suscipiendam, descendisse è columna; & aduersùs hostem religionis egregiè depugnasse, produnt eius Acta. Nimirum quod Valéti Imperatori egregiè dixit Aphraates apud Theodoretum [a] cùm in historia, tum & in Philotheo [b]. Cùm publica Ecclesiæ necessitas opem Sanctorum Ascetarum deposcit, nulla secessio & elongatio in solitudine exsoluit illos obligatione accurrendi ad opem sanæ Dei Ecclesiæ ferendam. Id quod præter Aphraatem, facto comprobauit Iulianus Anachoreta sanctissimus, autore Theodoreto [c].

[a] *l.4. histor.c.13.*
[b] *cap.8.*
[c] *cap.2. Philothei.*

2. Eodem consilio S. Bruno, cùm ita tulit obedientia, Vicario Christi debita, & necessitas publica poposcit, à dulcedine secessus sui, tametsi grauatè, nec absque mœrore auulsus est, & è portu solitudinis in pelagus fluctusque negotiorum reductus. Vt hæc sancti viri, cum priscis Stylitis columna exscendentibus, proportio intelligatur; nonnihil ex sacra temporis

Pvnct. 8. *S. Brunonis è columna sua descensus ex obedientia.*

poris illius historia est delibandum. Sedebat ad Ecclesiæ clauum Vrbanus II. ex Cluniacensi Monacho, & S. Brunonis anteà discipulo, ad illud dignitatum fastigium euectus. Tempora erant turbulentissima. Nam hinc Henricus Imperator pro enormibus sceleribus à S.Gregorio VII.Vrbani decessore exturbatus; immanes fluctus in Petri nauiculam emouebat, Inde Pseudo - Pontifex Guibertus, ab Henrico intrusus, præstabat in caulis Ecclesiæ quod lupi solent, cùm per Pastorum improuidentiam in ouile irruerint. Sarraceni Terram sanctam pedibus Domini calcatam fœdè contaminabant, & nouis in dies direptionibus, & ciuitatum abductionibus Christianos multabant. Nec qui Christiani & Catholici Principes audiebant, quietam planè sinebant Ecclesiam. Sanè haud ita multò pòst, in Concilio Claromontano multandus vsu sacrorum fuit Philippus Rex Francorum, ob pellicem à viro abductam, thoro sibi sociatam, legitima coniuge ablegata. Hæresis Berengariana, defuncto licèt ipsis Vrbani initiis Berengario, vel reipsa,vel in speciem pœnitentia ducto,radices tamen adeò altas in multis egerat, vt eradicari ægrè posse videretur, & syncera de mysterio Eucharistiæ fides, admistione tetri illius fermenti in plerisque inficeretur, peracerbo Sanctorum illius æui sensu; qui bonum & pul-

PVNCT.8. *S. Brunonis è columna sua descensus ex obedientia.*

chrum Dei transformari in euanidam vmbram, & nudum corporis Christi simulachrum, exclusa reali præsentia ingemiscebant; quà verbis, quà scriptis pro veritate Catholica stantes, & Berengarij blasphemiæ, ne glisceret, obsistentes. Quæ causa fuit, cur post annos aliquot S. Bruno è vita excedens, fidei suæ confessionem, ea clausula obsignaret. [Credo etiam sacramenta quæ sancta credit & veneratur Ecclesia; & nominatim panem ac vinum quæ consecrantur in altari, post consecrationem, verum corpus esse Domini nostri Iesu Christi, veram carnem & verum sanguinem, quæ & nos accipimus in remissionem peccatorum nostrorum, & in spem salutis æternæ. De aliis non leuibus Ecclesiæ per ea tempora turbinibus, consulenda Ecclesiastica Historia.

3. In tot procellis Ecclesiæ, Vrbanus nihil habuit antiquius, quàm B. Brunonem, cuius sapientiam, prudentiam, pietatem, optimus discipulus habebat compertissimam, ad se euocare, adactum fortibus iussis, ne vel reclamaret, vel moras traheret. Necdum itaque hæserat per sexennium in adamata sibi solitudine S. Bruno, cùm iussus esse Consul terræ, iuxta glossam S. Gregorij, & ad tractanda Ecclesiastica negotia aduocatus, consiliorum totius orbis particeps delectus, à dulci quiete mœrens abstrahitur; Romamque profectus, lateri

Ponti

PVNCT. 8. *S. Brunonis è columna sua descensus ex obedientia.*

Pontificis inhærens, ad omnia de rebus grauissimis consilia, per biennium adhibetur. Non alibi expressiorem formam reperire sit, consiliarij Pontificij, qualem S. Bernardus omnibus numeris absolutam exhibet [a], quàm in B. Brunone; qui vt nihil sibi, nihil suis captabat, ita totus erat in promouenda Dei gloria, & curanda Ecclesiæ tranquillitate, seclusis scandalis omnibus quæ per portas Inferi subeunt in Christi Rempublicam, nisi eius pro Christo rectores, & qui cum eis excubant, diligentissimè præcaueant. Felicem eo Consiliario Vrbanum, qui non quæ sua sunt quæreret, non ad gratiam loqueretur, nec consilia ad quæstum ingereret; sed Pontificis dignitati, optimo statui domus Dei, bonorum promotioni, malorum seuocationi consentientia semper proponeret, nec gratia flexus, nec timore abductus à recto.

4. Nauauit Vrbano operam S. Bruno, quandiu obedientiæ lege adactus, columnam quam iussus exscenderat, repetere est prohibitus. Et quanquam non ignorabat, ex secessionis suæ & contemplationis diuinorum abruptione, quam ex obedientia, & ad Ecclesiæ bonum sustinebat, non parciores meritorum fruges parari posse, quàm nullo intercisa negotiorum tumultu familiaritate cum Deo; vt insigniter tradit S. Anselmus, [b] & idem optimè fuseque disputat Hildebertus [c] solans Monachum qui

[a] *lib. 4. de consid. cap. 4.*

[b] *l. 1 epistola XI.*

[c] *ep. 37.*

electus in Episcopum assiduè expostulabat ereptas sibi vitales delicias; discursum ad superos interclusum, sublata cæli terræque commercia; quæ dispendia Hildebertus compensari insignibus fructibus vitæ pro Deo negotiosæ demonstrat; id quod æquè S. Brunoni occini poterat, nec eum reuera latebat: Tamen ipse iuxta ordinatæ charitatis præscriptum, de securitate sua quàm de aliorum compendiis sollicitior, semper suspirabat ad optatissimam Cartusiæ requiem, nec aulæ splendorem & delatum ab omnibus cultum, molliùs ferebat, quàm si hæsisset in sentibus, vel acerbis cruciatibus fuisset expositus. Verè Martyr aulicus, sed cum magno apud Deum fructu; cùm alij, præ tot angoribus, aulæ martyres haud iniuria dicti à Blesensi [a], & ab aliis quos adduco tractans martyres sæculi [b], vix aliud emolumentum ex aula referant, quàm seram vanissimæ occupationis deplorationem, & frustrà contritæ ætatis cassam querelam. Itaque B. Bruno, aulæ in dies magis ac magis semper pertæsus, cùm primùm per obedientiam licuit columnam suam alacer ac festinus repetiit; opportunè, importunè, exorata secessione, sub discessum Vrbani in Gallias, paulò antè quàm Placentia digrederetur.

[a] *ep. XIV.*
[b] *de martyr. p. 1. c. 6.*

5. Facta autem ab Vrbano post longam fatigationem secedendi potestate, anno 1095.

B. Bruno

PVNCT. 8. *S. Brunonis è columna sua descensus ex obedientia.*

B. Bruno tametsi Cartusiæ desiderio semper saucius; tamen consultò diuersissimum iter iniuit; veritus ne si Alpes transgrederetur Cartusiam repetiturus, in laqueum quo se semel expediuerat, relaberetur; rursusque à Pontifice Alpes item transgresso, reuocaretur; enatis subinde nouis difficultatibus, quæ sapientissimi viri præsentiam desiderare viderentur. Hoc consilio B. Bruno, dilata in tempus opportunius remigratione in Cartusiam, petiit Calabriæ eremum cui nomen *Turris*, in Diœcesi Squillacensi; amœnissimum planè locum, & secessioni opportunissimum, vt ipse fusè describit, datis inde literis ad Rodulphum, tunc Præpositum, posteà Antistitẽ Rhemensem. Eo loco redditus sibi, insigni sanctimonia vitam exegit; cum aliquot sociis, quos ad sæculi fugam incenderat; sacrificans iugiter Deo hostiam laudis pro disruptis vinculis quibus se aliquandiu illigatum gemuerat. Et tamen in tanta vbertate deliciarum internarum quibus à Deo perfundebatur, & in tanta secessus illius amœnitate; vnus ille aculeus animo fixus hærebat, quòd à Cartusia abesset. Clausula certè epistolæ inde datæ ad fratres in Cartusia degentes, monstrat eum semper suspirasse ad suæ Cartusiæ horrorem. [De me (inquit), fratres, scitote, quoniam vnicum mihi post Deum est desiderium, veniendi ad vos, & videndi, &

quando potero adimplebo, Deo adiuuante.] Non potuit, quia aliter tulit Dei consilium. Sicut & S. Paulus prohibitum se fatetur eò contendere, quò voluntate destinarat. Sed tametsi ad extremam vsque vitam B. Bruno hæsit in Calabria, & fauente Rogerio Comite, sancti viri studiosissimo, binas ædes sacras & cœnobium ædificauit, in quo etiam conditum est demortui corpus: tamen nihil inde Cartusiæ iuribus decessisse videtur, cùm spiritus S. Brunonis ibi hæserit, vbi desiderio fuit. Quo pacto litem de B. Hilarionis præsentia inter Cyprios & Palæstinos, diremptam refert S. Hieronymus. Nec abesse censendum virum sanctum sicubi est eius spiritus, rectè pronuntiat S. Chrysostomus[a].

[a] *orat. de S. Eustathio.*

6. Dixi de B. Brunonis excensione è columna sua, cùm ita obedientia, & publicum bonum tulit. Vir clarissimus Petrus Pertuis non minùs vitæ integritate quàm prudentia & eruditione sacra conspicuus, opportunè admonuit apud Monachum Sandionysianum, in Caroli VI. Francorum Regis historia, & apud Iuuenalem Rhemensem Archiepiscopum in eiusdem Regis rebus gestis, extare aliquot Cartusianorum simile factum in grauissima Christianæ Ecclesiæ necessitate. Nempe cùm Bonifacius IX. Romæ ad Ecclesiæ gubernacula sederet, Clemens verò VII. Auenione pro Pontifice

tifice se gereret, orbis vniuersus variis partium studiis concutiebatur. Reges Christiani, pars Bonifacio, pars Clementi adhærebant. Plebs fidelis Magnatum (vti assolet,) studiis addicta, huc illucque ferebatur. Plena dissidij & confusionis erant omnia; parte vna fœdi probri, (quid enim schismate probrosius?) notante aliam, & subiectionis ad ementitum Ecclesiæ caput insimulante. Scissuram tunicæ Christi, plerique omnes pij & iusti, ferebant ægerrimè. Ex eo numero, Prior Astensis apud Insubres Cartusiæ, cui nomen *Petro*, vir insigni pietate, zelo, prudentia, non dubitauit relicto ad tempus secessu & amica solitudine, adire Bonifacium, & exaratis ab eo litteris ad Carolum VI. Regem Francorum Clementis partiarium, longum & arduum iter suscipere, adiuncto sibi à Pontifice Bonifacio, itineris & laborum comite Bartholomæo de Rauenna eiusdem Cartusiani instituti, cœnobij insulæ Gorgonæ moderatore. In itinere cùm Auenionem appulissent, à Clemente asperiùs habiti, & carcere conclusi, pro vsu diuinæ erga suos administros prouidentiæ, non leuibus ærumnis ad patientiæ materiam sunt exerciti: donec Caroli Regis postulatu dimissi, tenuere Lutetiam vbi nihil prætermiserunt quod posset ad curandam Ecclesiæ concordiam facere. Nec Rex surdis auribus excepit pia monita, quin potiùs

recepit,

recepit, nulli se labori ac curæ parciturum, vt Ecclesiæ vnitas malè discissa sarciretur. Idque vt Italis esset extra dubium, duobus Italis Cartusianis remigrantibus trans montes, adiunxit Gallicanos Cartusianos duos, pacis Ecclesiasticæ sitientissimos, eximiæque religionis viros; Priorem Diuionensem, & Parisiensem, quorum diligentia & prouidentia, via sterneretur ad tanti momenti negotium, ritè ac breui perficiendum. Quinetiam Rex preces publicas in eum finem exorandæ vnionis Ecclesiasticæ indici, & religiosè obiri curauit, non absque magna propensione Caroli in Bonifacium, & imminutione affectus erga Clementem; ita vt hæc videantur fuisse semina exortæ post aliquod tempus concordiæ, vrgentibus maximè Gallis, qui priùs ab vna parte adeò studiosè steterant. Tanti fuit, Cartusianos quatuor, pro causa Dei & Ecclesiæ bono, dulcedinem amicæ solitudinis ad tempus relinquere, & communi vtilitati operam nauare.

7. Studia Bonifacij Ferrerij, (qui vix elapso ab adita Cartusia triennio, in eius Generalem promotus est) vt pacem inter Pontificem Benedictum XIII. & Cardinales conciliaret; rursusque eiusdem labores in Perpinianensi & Pisano Conciliis, vt vnitas Ecclesiæ scissa iampridem, redintegraretur; tametsi apud Deum laude ac præmio digna esse potuerunt, ob syn-

cerum animum & bonam fidem Bonifacij; tamen quòd censeatur non bonæ causæ nauasse operam, missa sanè hoc loco fiant: Nauasse tamen absque labe, germani sui Vincentij exemplo, & vitæ ratio omnibus virtutum decoribus exornata, vt Laurentius Iustinianus in vita S. Vincentij Ferrerij accuratè demonstrat, & insignia beneficia ad eius tumulum exorata, admotione præsertim herbarum ibidem enascentium, testatissimum faciunt. Sed causam in conscientiæ latebris abditam, quò solius Dei oculus peruadit, diuino iudicio permittamus. Quamquam non obscurè inde colligitur, quo fuerint in Dei Ecclesia loco Cartusiani, quos ad eiusmodi negotia, quibus nullum erat in orbe grauius, momentique maioris, adhiberi placeret. Indidemque perspicitur, Cartusianos cùm è bono Ecclesiæ est, haud grauatè à dulcedine quietis suæ abstrahi, & fluctus ac turbines negotiorum non reformidare.

8. Non minùs liquidò deprehendere idipsum licet ex eo quod subnecto. Mortuo Martino Aragonum Rege, ingens contentio de successione orta est, Aragonios inter, ac Valentinos, & Cossetanos. Res vergebat ad prouinciarum illarum cladem: Scissa erant, (vt assolet,) cuiusque partis studia, singulis quem maximè sibi commodum crederent, re-

gno

gno destinantibus. Tandem anno 1452. conuentum est, vt per delectos arbitros, nauos & prudentes viros, tanto negotio non impares, finis lubrico illi negotio imponeretur. Aragonij, Dominicum Ram Oscensem Episcopum, & Franciscum Araudam Cartusianum, ac Bereligarium Vardachium, legatos ad rem tantam designarunt. Valentini, Bonifacium Ferrerium S. Vincentij Ferrerij germanum Cartusianum, ipsumque Vincentium, & Ienesium Rabacam, nuncupauerunt. Cossetani, Tarraconensem Archiepiscopum, Guillelmum Valliscica, & Bernardum de Gualues: à quibus omnibus, præterito Aragonio, legitimus Martini successor dictus est Ferdinandus infans Castellæ. Quid priùs hîc suspiciam non habeo; duósne Cartusianos, quia ita ferebat pax publica & multarum prouinciarum salus, de statione sua dimotos, neglecta priuatæ tranquillitatis suauitate: an generoso honesto incocta eorum pectora, quæ posthabito sensu eorum qui tam honorifico munere homines sæculo segreges honestauerant; statuerunt non declinare oculos suos in terram; Sed inflexi & infracti pro iustitia steterunt. Satis de excensione Cartusianorum è columnis suis, cùm ita necessarium est ad Ecclesiæ bonum, & publicam vtilitatem.

PVN

PVNCTVM IX.

Gloria fugientes Stylitas insequens, gloriæ S. Brunonis à sæculi fumo secedentis, bellè respondet.

1. INter causas à Theodoreto [a] recensitas, cur S.Simeon Stylitarum princeps, ad columnam conscendendam sit adductus, numeratur, nec abs re, gloriæ fuga. Confluebant enim vndecunque ad eum, non Catholici modò, sed & Hæretici, atque Pagani, & Iudæi; quibus omnibus vnum votum erat, attrectare vestes eius, & inde sanctimoniam ac cælestis largitatis participationem haurire. Quem honorem fugiens S. Simeon, excogitauit conscensionem in columnam. Cæteri quoque sancti Stylitæ, fuêre à gloriæ captatione remotissimi. Et tamen Deo de more humilitatem ipsorum remunerante, tanta eos gloriæ copia est consecuta, quantam illi inhiantes, prehendissent nunquam. Quem enim latet S. Simeonis fama, toto terrarum orbe celebratissima? Ad eum Theodosius Augustus propè supplices literas dabat. Clam ad eum adiit Martianus Imperator, omnique venerationis argumento est prosecutus. Rex & Regina Persarum, itemque Regina Ismaëlitarum, pro terrestri

[a] *cap.26. Philothei.*

Angelo

Angelo habuerunt. Eius etiamnum superstitis imago Romæ in singulis officinis prostabat. Hispani, Britanni, Galli, ad eum confluebant frequentissimi Actas S.Danielis Stylitæ testatum faciunt, quanta gloria hic beati Simeonis æmulator micuerit apud Leonem Imperatorem, Eudociam Augustam, Gabarium Regem Lazorum, Basiliscum Tyrannum, aliosque sæculi apices non paucos. Benedidictus Deus, qui tantum splendorem refundit voluntariæ seruorum suorum demissioni. Nec defecit SS. Stylitas miraculorum gloria. Simeon certè, ab Antonio discipulo [a], & à Theodoreto, aliisque res eius exsecutis, talia patrasse proditur, qualia Thaumaturgi illustrissimissi, cæcis visum, surdis auditum, & languentibus vigorem, leprosis nitorem restituens, exsoluens energumenos, omne malum depellens, omne bonorum genus concilians. Daniel item Stylites, ac Iulianus perillustribus fulsêre miraculis. Atque ita humanis (vt sic dicam,) atque diuinis radiis colluxêre, splendorem conciliante Deo, iis qui ad Dei gloriam latere præelegerant.

[a] *c.4. vit.*

2. Haud secus accidit S. Brunoni: Quo enim penitiores captauit latebras, & sibi ac Deo fulgere contentus elongauit à sęculi claritate, mansitque in solitudine; eo Deus; in quem nihil vnquam frustrà profunditur, de illo collustrando fuit sollicitior. Horruerat sanè

B.Bruno

B. Bruno in ſæculo, & gloriam Magiſtri ſapientiſſimi apud omnes ea ætate repararat. In variis de eo carminibus quæ in demortui honorem ſunt conſcripta, fuiſſe dicitur, [*Doctor, Chriſti præco, vir notus in orbe.*] Vocatur [*Doctor verus ſophiæ, ſemita iuſtitiæ, fons & origo ſophiæ, gemma ſophiæ, Doctor Doctorum, lux Eccleſiarum, reuerendiſſimus, religioſiſſimus, eminentiſſimus, qui ſolus ſuis temporibus mundo renunciauit; imago veræ iuſtitiæ, doctrinæ, philoſophiæ, qui doctrinæ vndam gentibus & plebibus ſuppeditaret, gemma domus Dei, columna Eccleſiæ, totius acerra ſophiæ, incomparabilis philoſophus, totius ſcientiæ & panè omnium Clericorum lumen & fundamentum: ſummus didaſcalus Eccleſiæ, qui toto cunctos ſuperauit in orbe Magiſtros, qui ſe tota dedit ſapientia, totáque inſedit, immenſi vas ſenſus & bonitatis.*] Quid ad hæc decora poſſit accedere? Habuit tamen Eccleſia Andegauenſis, quo cumularet tam confertam laudationem; hoc de S. Brunone vita tunc functo, teſtimonium ferens, verbis incomptum, ſenſu nitentiſſimum.

In mundo rutilat ſolis iubar, & rutilando
Tranſit, & excedit ſydera cuncta poli:
Sic & Brunonis ſapientia tanta refulſit,
Inter Francorum ſydera, ſolus vt hic
Eſſet cunctorum fons & flos Philoſophorum;
Flos ſpecioſus erat, fónſque profundus erat.
Ex hoc manauit ſapientia tanta per orbem,

O V

Vt quos imbueret, Philoſophos faceret.

Optimè quoque Eccleſia S. Dionyſij Rhemenſis.

Quatuor vt fontes ex vna parte meantes,
Quos Paradiſus habet, mundi per regna fluentes
Exundant terras; ſic hic quos imbuit, ornat,
Jmplet, & informat, inflammat, dirigit, armat,
Cudit & illuſtrat, & adhuc regit, excolit, aptat;
Syderis inſtar erat cunctis quos ipſe docebat.

Audin' quoties B. Brunonis ſapientia & ſophia, (vtique præſertim Chriſtiana,) ſermonéſque & fluenta ſacræ doctrinæ ex eius ore manantia, celebrantur? Adducor planè ex iſtis, vt credant, repellendos eſſe, qui abiudicant S. Brunoni, & Brunoni Epiſcopo Signienſi tranſcribunt, ſermones in perantiquis Codicibus Brunoni Cartuſienſi attributos. Nec vrget argumentum quod intentant, petitum ex ſtatu Eremitæ, in quem non quadrant conciones habitæ ad populum, & ſcriptis commiſſæ. At potuit ante aditam eremum ſermones illos habere, & ad poſteros per ſcripta tranſmittere; ſicut & libros ac commentarios ſacros quos ei non abrogant. Liber de laude vitæ ſolitariæ, quem aſſeruat Cartuſia Veneta, vt ſcribit Poſſeuinus V. *Bruno*, ambiguum eſſe poteſt, num in ſæculo, num in eremo ſit exaratus: ſicut &

carmen

carmen de mundi contemptu, repræsentatum à Theodoro Petreïo in Bibliotheca Cartusiana. Tametsi non videtur dubium quin leges metricas prædidicisset in sæculo, vnde his & aliis Ægyptiacæ sapientiæ spoliis suffarcinatus exiuit.

3. Quamuis igitur tanta claruisset sapientiæ gloria in sæculo S. Bruno, tamen multò splendidiùs fulsit, cùm captauit latebras. Quantæ enim gloriæ fuit, quod eum Christi Vicarius acciuit consiliarium, & curarum orbis vniuersi participem, præcepto adigens ne splendorem illum detrectaret? Quantæ claritatis quòd venientem summo honore complexus est, & quandiu illum retinere apud se potuit, omni beneuolentiæ argumento est prosequutus? Rogerius Comes Calabriæ & Siciliæ, vir potentissimus, & vix vlli Regum suo tempore secundus, profitebatur se illum agnoscere [*in tota domo sua primum & magnum*] frequentérque ac multa cum reuerentia euocatum in regiam, omni obsequio & veneratione honestauit. Dum apud Vrbanum Pontificem adesset pro causis Ecclesiasticis S. Bruno, Rhemenses Canonici mortuo per id tẽpus Archiepiscopo, Brunonem qui in ea Metropoli aliquando Canonicum egerat, in Archiepiscopum communibus suffragiis elegerunt: & ne vota eorum cassa essent, annisum esse studiosè Vrbanum Pontificem, scribit in Chronico Cartusiensi Dor-

[a] l.1.c.2. landus[a]. Sed obfirmatus in delecta humili vita S. Bruno, fluxos honores repudiauit. Digressus ex aula, iámque in desertis Calabriæ vacans Deo, aliud venerationis & delati honoris testimonium tulit: Nam Rhegienses Calabri expetiuere S. Brunonem in Archiepiscopum. Et quanquam illo obfirmatè renitente nihil euicerunt, tamen multò clarior non admissis Ecclesiasticis honoribus fuit S. Bruno, quàm si illud (vt S. Augustinus[b] dixit,) *nomen periculi*, vltroneus & captans prætulisset. In toto orbe inclaruit fama eius, & exemplo suo comprobauit, nihil splendoris ac gloriæ decedere, contentis eo fulgore quem seruitus Deo desponsa conciliat.

[b] ser. 39. ex 40. nouis.

4. Prudens ac sciens sileo de miraculorum gloria qua superstes adhuc, & nec dum cælo illatus claruit. Mentio est miraculorum S. Brunonis, in eius Canonismo metricè expresso. Illud luculentum, spectata persona; quòd Rogerium Calabriæ Comitem Sergij Græculi proditione opprimendum, per visum admonuit insidiarum, & præsentissimo periculo eripuit, vt ipse Rogerius solemni diplomate quaquauersum transmisso, testatum fecit. Sed hoc decus humano cuiuis splendori anteferendum, volens prætereo in præsentia; quia maximum miraculum quod S. Bruno fecit, ipse fuit, vt S. Bernardus de S. Malachia pronunciauit. Tantus enim in summa sæculi luce amor latebrarum,

brarum, tam accurata commodorum vitæ huius propè omnium recisio, silentij adeò arcta custodia, in mortali corpore animam aggrauante indefessus ad Deum annisus, carnis contusio & maceratio tanta, támque diuturna, pro illustrissimis miraculis (me quidem iudice,) sunt habenda. Nec deest alterum longè fulgentissimum miraculorum genus, iis comprehensum, quos ad sublimissimam sanctitudinem informauit. Id enim inter primaria S. Theclæ miracula numerat Basilius Seleuciæ [a], sed quod huiusmodi miraculorum decus vbertate sua in has angustias compingi nequeat, proximè seorsim est explicandum.

[a] *lib. de mirac. S. Theclæ c. 30.*

PVNCTVM X.

Vt Stylitarum Orientalium, sic S. Brunonis ac sociorum gloriæ propagines.

COmplures sanctis Stylitis Orientalibus fuisse sectatores, tactum est puncto 1. Nec perstitisse duntaxat superstitibus Magistris, constat ex miscellæ auctore, qui anno Constantis VI. Christi 647. tanto post primos Stylitas, meminit multorum è Stylitis, vi turbinum ac procellarum vehementissimarum, è columnis suis deiectorum. Hoc decus

multò auctius est in S. Brunone & primis Cartusiæ incolis. Habuere enim multis à morte obita sæculis, gloriosam progeniem, copiosam, parentibus dignam, & quibusuis ornamentis statui religioso consentaneis ornatissimam. Nam doctrina ac pietate insigniter colluxerunt, quæ geminis illis lapidibus mysteriorum prægnantissimis pectori sacerdotis appressis, ipsoque nomine *doctrinam & perfectionem* præferentibus bellè respondent, & nobilitate generis veluti gemma dotes humanas inoculante, fuêre conspicui; sacris denique infulis, & Ecclesiasticis honoribus, aut spretis cùm deferrentur & ingererentur, aut cum summa Ecclesiæ vtilitate cùm excuti non possent, demissè ac patienter exceptis, ornarunt potiùs honores, quàm ab eis sint exornati. Attingamus hæc omnia, sed obiter tantùm ac cursim. Nam longi laboris necessitate leuarunt nos, qui de his argumentis iusta volumina pridem ediderunt.

§. I.

In S. Brunonis posteris, doctrina præstantes quamplurimi.

1. ET vt initium à Doctrina fiat, quæ plerunque pietati iter præstruit, & idcirco à S. Augustino epist. . . . vocatur *machina per quam*

structura

structura charitatis assurgit; videbimur causa cadere, si audiamus Guillelmum Abbatem, initio Epistolæ ad Fratres de monte Dei, sic compellãtem primos illos Cartusianos. [Videte Fratres mei, videte vocationem vestram. Vbi sapiens inter vos? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi? Nam & si sunt aliqui sapientes inter vos; per simplices tamen, sapientes aggregauit, qui Reges olim & Philosophos mundi huius, per piscatores sibi subiecit. Sinite ergo, sinite sapientes huius sæculi, de spiritu huius mundi tumentes, alta sapientes, & terram lingentes, sapienter descendere in infernum. Vos autem dum foditur peccatori fouea, sicut cœpistis stulti facti propter Deum, per stultum Dei quod sapientius est omnibus hominibus, Christo duce, humilem apprehendite disciplinam ascendendi in cœlum.] Posterioribus temporibus, fuisse qui rusticæ tantùm simplicitatis & inscientię insimularent Cartusianos, intelligitur ex Arnoldo Bostio, præfatione ad librũ de viris illustr. Cartus.

2. Nihilominus abundasse doctrina S. Brunonis familiam, negari non potest. Et imprimis ipse S. Bruno, vt erat eruditissimus, sic præstantes doctrina viros in cœtum suum cooptauit. Eiusmodi fuit, qui posteà illi in rectione Cartusiæ suffectus est, Magister Lauduinus: sic enim denominatur, à doctrina vtique & gradu Doctoris, pro illius temporis vsu,

qui tametsi non ferebat ritus posteà inductos, tamen non vacabat externo aliquo apparatu quo exornatum Lauduinum affirmo. Ita enim apertè habetur ex Petro Abelardi in suarum calamitatum historia. Inter socios in Calabria S. Brunoni adiunctos, ipsemet in Epistola ad Rodulphum tunc Præpositum, posteà Antistitem Rhemensem testatur fuisse aliquos benè eruditos. Fuere deinceps longè plurimi, quibus doctrinæ decus, & quidem eximium, negari absque iniuria nequeat. Sed frustrà operam in eis præcensendis collocarem, cùm Theodorus Petreius Bibliothecam Cartusianam, (sic enim opus iustum de nominibus scriptorum, & argumentis scriptionum inscripsit,) authores ex hoc Ordine vltra centum & octoginta digesserit; Nec potuit syllabo suo inferre alios qui posteà exorti sunt, quos inter optimæ notæ aliqui, & nominatim Antonius Molina, ac Ioannes Valerus. Itaque insignis fuit Choppini parcitas, qui [a] aggressus doctos Cartusianos recensere, vndecim duntaxat, protulit; cùm posset tam multos alios adducere, & quidem feracissimos ac optimæ notæ. Ex vno & altero quos sigillatim appono, gustus totius summæ accipi poterit, iuxta dictũ Constãtini Manassis, quod ex gutta, liceat pronunciare de lecytho.

[a] l. 2. monast. tit. 1. n. 42.

3. Dionysius Richelius, quantus librorum gurges fuit? Quomodo ex vnius ingenij vtero, tanta fœtura edi potuit? Indiculus lucu-

brationum eius, nudis titulis & operum initialibus vocibus constans, explet iustæ magnitudinis tractatum. Vix alij legendis iis pares esse queunt, quæ ipse robore Giganteo sua manu exarauit. Nullum est sacræ literaturæ genus, quod non versauerit, & scriptione quapiam illustrarit. Nam expositiuam quidem Theologiam tradidit quantam quilibet alius; omnibus ad vnum diuinæ scripturæ libris, diffusè, plenè, perspicuè enarratis. In scholastica Theogia struxit panaceam, conflatis in duo spissa volumina tredecim primariorum Scholasticorum placitis, verbis ipsorummet intextis, Alexandri Alensis, S. Thomæ, Alberti, S. Bonauenturæ, Ægidij Romani, Petri Tarentasiensis, Richardi Amediauilla, Guillelmi Parisiensis, Guillelmi Antissiodorensis, Henrici à Gandauo, Vlrici, Scoti, atque Annibalis. Opus in quo multa simul opera insigni lectoris fructu prostant adunata. Alios seorsim de Theologicis argumentis tractatus edidit benè multos. Polemicæ scriptiones de fide, in Paganos, Saracenos, Valdenses, Magos, & id genus impios, extant apud eum quamplurimæ. De mystica Theologica scripsit vberrimè; & quod caput est, ex vsu potiùs & experimento suo, quàm emendicatis pro multorum more centonibus. Sanctos, Dionysium Areopagitam, Climacum, Cassianum, Boëtium, illustrauit quà paraphrasibus, quà

commentariis. De ſpectantibus ad moralem Theologiam, ſcripſit vberrimè. Vix vllus eſt hominum ſtatus ad cuius informationem aliquid non elucubrarit. Habemus ab eo libros de reformatione Eccleſiæ, de ſummi Pontificis officio, de munere Pontificij legati, de vita & regimine Præſulum, Archidiaconorum, Prælatorum, Canonicorum, ſacerdotum, & quorumuis Eccleſiæ miniſtrorum; nominatim verò Curatorum. De Aſcetarum & Aſcetriarum informatione, multa accuratè & piè chartis commiſit, præſcribens quæ Religioſos, quæ Moniales & Incluſas decerent. Nec ſtatum laïcum monitorum piorum expertem dimiſit. Leguntur libri eius de vita nobilium, de regimine Principum, de Principiſſis, de doctrina Scholaſticorum. Conciones ſacras de variis argumentis emiſit quamplurimas. Non ſiuit intentatas philoſophicas diſciplinas, profeſſus perlectos ſibi in eam rem primarios quoſque Philoſophos, Platonem, Ariſtotelem, Proclum, Auicennam, Algazelem, Alpharabium, Alexandrum, Themiſtium, Auerroem, alios. Etiam carmine luſit.

4. Proh monſtrum ſcriptoris! quis non ſtupeat, hominem in cœtu cæteroqui ad concinnendas Dei laudes intentiſſimo, & occupatiſſimo domeſticis pleriſque ſpiritualibus functionibus, quas ille omnibus aliis ſemper antetulit, tantam ingenij fœcunditatem, tam

nume

numerosa editorum librorum parturigine prodidisse? vix vllam ætatem, vllam gentem ab orbis fabricatione, virum parem qui sanctitatem tantam cum doctrina coniunxerit, protulisse, non dubitauit asserere Thomas Bosius [a]. Aubertus Mireus in elogiis illustrium Belgij Scriptorum [b], in eius laudes meritò effunditur. Applausisse fertur Dionysio, perlecta serie operum eius, Eugenius IV. & in ea verba prorupisse. *Lætetur mater Ecclesia, quæ talem habet filium.* Appositissimè idem quis de Carthusia dixerit.

[a] *l. 22. de signis Eccl. c. 24.*
[b] *decade 4.*

5. Ferè absterreor adducere alterum, cuius scriptiones, ad quadringentas triginta tres, diffunduntur. Is est Ioannes Hagen de Indagine; non ille Chiromantes Physiognomus, obelo Romanus transfixus, fortassis hoc prætexto nomine latere volens; sed alius integer doctrinæ & sceleris purus, qui anno 1475. è viuis excessit. Virum fuisse incredibili memoria, diligentia, constantia, iudicio, produnt qui hominem norunt. Studij autem fuit adeò improbi ac pertinacis, vt cùm in paupere quodam Cœnobio degeret, deessétque ad nocturni studij vsum candela, fomitem luminis, ex ossis & pinguioribus quibusuis esculẽtis colligeret; butyrum pro veteri vsu de quo Clemens Stromateus, ad lucernæ fomentum infundens. Testaturque Theodorus Petreïus, testis oculatus, in illius vsus testimonium,

ſupereſſe etiamnum autographa eius non pauca inſigniter inuncta, & delibuta. Euge æui tui Dydime Chalcentere; qui te ignauiæ damnauerit, damnas eſto. Quod pectus, qui digiti, qui oculi tibi fuerint, in tanta tamque producta ſcriptione, dicant quos non latet, cuiuſmodi labor & fatigatio ſcriptioni diuturniori comitetur. Præ iſtis Laurentius Surius quem ob ſpiſſa ſex volumina de probatis Sanctorum hiſtoriis, aliaque nonnulla typis vulgata, paſſim habent pro ſcriptore copioſo, videri poſſet parcè, tametſi optimè, ac cum Pij V. encomio, Ordinem ſuum, imò Eccleſiam vniuerſam nouis ſcriptionibus locupletaſſe.

6. Ex hoc modico ſpecimine, liquere puto, non cadere in S. Brunonis ſobolem, illud Hieronymi [a] quorũdam cæteroqui piorum inſulſitatem ſubſannantis. [Craſſam ruſticitatem, ſolam pro ſanctitate habent, piſcatorum ſe diſcipulos aſſerentes, quaſi idcirco ſancti ſint, ſi nihil ſcierint.] Sic deſipientes, S. Chryſoſtomus [b] fucis ſtultiores appellat, repellitque illum craſſitiei huius vmboné quem ſibi prætendebant ex Sapiente, cuius illa ſunt. *Benedicta, omnis anima ſimplex.* Et illa, *qui ſimpliciter ambulat, in fiducia ambulat.* Hoc tegmen ignauiæ, ſic diſiicit eo loco S. Chryſoſtomus. [Hoc omnium malorum cauſa eſt, quod non multi Scripturarum teſtimonia in opportunis rebus ſciunt adducere. Non enim eo loco,

[a] *ep.* 102.

[b] *hom.* 16. *In Ioan.*

ſimplex

ſimplex pro *ſtulto*, & *pro eo qui nihil nouit*, intelligendus eſt, ſed pro *non malo*, *non verſuto.* Nam ſi ita intelligeretur, ſuperuacaneum fuiſſet dicere, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Non eget hoc inſcitiæ ſipario S. Brunonis familia, tot Doctoribus & Scriptoribus abundans; cuiuſmodi multos, (præter binos quos attigi, verè monſtroſos ſcriptores,) recenſet Petrus Sutoris [a]. Præter eos qui poſteros grauare nouis ſcriptionibus pertæſi, nihil ſcripſerunt, quantumuis optimè à doctrina & ſcribendi dotibus conſtituti. Quo in genere ingratiſſimè agam, ſi magnum illud ſuperiorum proximè annorum lumen, Brunonem D'Affringues intactum dimittam. Vir erat virtutibus præcellens, & prudentia ac regendi facultate omnino eximius; omnigenæ verò litteraturæ opibus adeò abundans, vt vix alius noſtra memoria ampliùs. Quam ille diſciplinam ſacram aut humanam non percalluit? Quæ adyta literarum non penetrauit? Ad eius voluti cortinam, è præcipuis Chriſtiani orbis regionibus, accurrebant qui doctrinæ oracula captarent: & referebant ſolida, nulliſque ambiguitatum plexibus impedita. Beati ſunt qui te viderunt (virorum optime,) & in amicitia tua decorati ſunt: Nam nos vita viuimus tantùm, poſt mortem autem, non erit tale nomen noſtrum. Dixit de Elia Siracides. Ego de homine in quo zelus Eliæ ad Ordinis bonum reuixit,

[a] *l.2. de vita Cartuſ. tract. 3. c. 7.*

reuixit, idem non abſurdè profitear.

7. Attigi Cartuſianos doctrina præſtantes de innumeris paucos. Quid verò mirum, inter S. Brunonis poſteros qui literis nauarunt operam fuiſſe, qui in viros doctos euaderent; cùm etiam Laïci inter eos, doceantur à Deo ſcientiam? Audi Bleſenſem commentario in Iobum ad illud, *pellem pro pelle.* [Nudiuſtertius vidi quendam diſcipulum huius ſectæ, *Gerardum* nomine, Cartuſienſis Ordinis fratrem. Iſte ſuper omnia deſiderabilia ſua, iam per ſeptennium deſiderauerat mori, cupiens exire de carcere, & de vinculis huius carnis, ſicut dicit Propheta, *Educ Domine de carcere animam meam.* Confidens itaque de meritis ſuis, ſed ampliùs de miſericordia Redemptoris, cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto. Certè non minùs exoſam habebat vitam præſentem, quàm nos miſeri mortem: non minùs abhorrebat viuere, quàm nos mori. Singulis noctibus in principio vigiliarum ſurgebat, imò anticipabat vigilias noctis. Ego & quidam alij qui eramus cum eo, dabamus requiem temporibus noſtris, & oculis noſtris dormitationem: ipſe autem pernoctabat in oratione, ſemper tamen cum fletu & gemitu. Vix aliqua hora comedebat panem ſine lachrymis, ſed & poculum ſuum cum fletu miſcebat. In omni opere ſuo ſuſpirabat ad Chriſtum, deſpiciens terram, ſuſpiciens cælum; vtens mundo quaſi non vtens, & inter vtenda

&

& fruenda, quodam intimo ſapore diſcernens; tranſitoriè tranſitoriis vtebatur, & æterna quodammodò quaſi æterno amplectebatur affectu: verę quaſi æterno, quia æternitatis imago eſt conſtans & firma & inconuulſa mentis æqualitas. Et licèt Laïcus eſſet, & literas non nouiſſet, habebat tamen ſcriptam in corde ſuo, digito Dei ſcientiam vitæ & diſciplinæ. Sanè docuerat eum qui docet hominem ſcientiam. Et vtinam literati omnes ſic eſſent docibiles Dei; & infudiſſet illis gratia, quod non infudiſſet diſciplina. Deum teſtor. Non minùs circumſpectè & ſanè de articulis fidei Chriſtianæ reſpondebat, quàm ſi maximam vitæ ſuæ partem in ſcholis Pariſienſibus expendiſſet. In ſchola ſiquidem illius eruditus fuerat, qui docuit & inflammauit Apoſtolos, de quo legitur, quia *ignis eius in Sion, & caminus eius in Ieruſalem*. Erat itaque conſcholaris Apoſtolorũ, & illius qui dicit, *de excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me*. Sic loquebatur quaſi ſermones Dei. Habebat enim ad manum verba vitæ.

§. II.

Soboles S. Brunonis ſanctitate prænitens, quàm copioſa.

1. CHariſma aliud, & quidem melius, in S.Brunonis poſteris ſtatuebam vitæ ſancti

ſanctimoniam & religioſæ perfectionis accurationem, qua homo Deo connectitur, & in carnis oſtreo adhuc degens, in cælitum numerum aliquatenus tranſcribitur. Sed priuſquàm hoc decus S. Brunonis filiis vendico, remouendus eſt vnus aut alter obex, quo aliqui hoc decus obducere tentarunt, cauſati ſanctitudinem filiorum S. Brunonis parciorem videri, cùm & minùs claruerint miraculis, & non plures duobus inter tot Cartuſiæ alumnos, honeſtati Eccleſiaſtica vindicatione prodantur: nimirum ipſe S. Bruno ſuperiore ſæculo à Leone X. eum honorem, appoſita reſtrictione, quæ nuperrimè à Gregorio XV. ſublata eſt, aſſecutus; ac S. Hugo, ex Procuratore maioris Cartuſiæ, Lincolnienſis in Anglia Epiſcopus. De cæteris omnibus altum ſilentium. Neque tamen vel Eccleſiam liuor, aut oſcitantia infecit, alios, ſi qui forent, prætereuntem, & inglorios abſque Canoniſmo dimittentem: vel Dei prouidentia de Sanctorum ſuorum illuſtratione ſollicita, dormitaſſe aut dormiſſe cenſenda eſt, ſub modio ponens cæteros, & iacere in abſcondito ſinens; cùm poſſent, aut etiam deberent, ſi aliqui eſſent idonei, ſtatui vniuerſæ Eccleſiæ in exemplum, & ſanctitatis illicium.

2. Hos obices, otioſè à nonnullis aduersùs copioſam poſterorum S. Brunonis ſanctitatem oppoſitos, non erit operoſum remouere. Cùm audio penuriam miraculorum Cartuſianis obiici,

obiici, indéque inferri parcitatem ſanctitatis, quæ fuit prima difficultas propoſita, videor mihi audire improuidorum quorundam argumentationem à S.Eulogio latè exploſam [a], quibus ſanctitas Martyrum Saracenico gladio tunc cadentium dubia erat, quia non illuſtrabantur miraculis. [Pleriſque noſtrorum (inquit S.Eulogius,) paruipendulis, verum non eſſe videbatur martyrium, quod non ad confuſionem incredulorum, vel roborationem fidelium, aliquod oſtentaret miraculum.] Haud diſſimiliter argumentantur, qui Cartuſianorum ſanctitatem ab infrequentia miraculorum extenuant. Sed quàm debilis & malè materiata ſit hæc diſputatio, non vno modo oſtendere licet. Poſſum in primis, difficultatem ex infrequentia miraculorum petitam, elidere cum Petro Cluniacenſi [b], qui recitaturus vnum aut alterum miraculum Cartuſiani laïci, ſic præfatur. [Multa quidem in illo ſacro Ordine miracula contigiſſe, à pluribus accepi. Sed quia ipſi humilitatis virtute, qua ſemper ſerui Dei miranda ſua opera quanto poſſunt niſu occultant, vix aliquid ex his prodere alicui voluerunt; rara, imò rariſſima, quibus omnimoda fides accommodanda eſſet, ad me miracula peruenerunt.] Eſt qui alleget Guigonis Magni lucubrationem, cur infrequentia ſint apud Cartuſianos miracula; quæ ſi ſuppeteret, fruſtra in huius nodi expeditione laborarem. Extat de

[a] *lib. 1. memor. ſanct.*

[b] *lib. 2. mirac. c. 29.*

eodem argumento Opuſculum Bonifacij Ferrerij, germani S. Vincentij, perperam adſcriptum Gerſoni, eiuſque ſecundæ parti inſertum. Poſſunt cum hoc Autore excipere, & cum Petro Sutoris [a] aſtipulantibus pleriſque Patribus, adducendis in Oromaſde [b], miracula non eſſe certa ſanctimoniæ argumenta, & maximè ſpectare fidei plantationem: nec ſanctos facere qui ea patrant, ſed ad ſummum oſtendere. S. Eulogius [c] tractans obiectionem Chriſtianorum aduersùs Martyres tunc paſſos, & rurſus in Apologetico pro iiſdem SS. Martyribus [d], ſplendidè hoc negotium diſcuſſit.

[a] *lib. 2. de vit. Cartuſ. tr. 3. cap. 6.*
[b] *punct. VI. ad finem.*
[c] *l. 1 Memorial. SS.*
[d] *ad obiect. 2.*

3. Hæc quamuis ita habeant, tamen parcos miraculorum fuiſſe S. Brunonis poſteros, haudquaquam ad veritatem dicitur. Sanè quod Ioãnes XXII. in diplomate de S. Thomæ Aquinatis Canoniſmo, pronunciauit, huc accommodari optimè poteſt. Dixit enim, non fuiſſe ad eum Sanctorum ſyllabo inſerendum, neceſſaria vulgò dicta miracula, eo quòd ſingulæ quæſtiones ab eo conſcriptæ poſſent miraculorum nomine nuncupari. Idipſum proportione affirmare hoc loco licet, de tam multis Dei ſeruis: quorum iugis à tot ſæculis perſeuerantia in Dei laudibus, in vigiliis, in ieiuniis, in ciliciorum aſperitatibus, in anteoccupata viuorum quaſi ſepultura, cenſenda ſunt grandiora miracula, pleriſque apud vulgus luculentiſſimis. Hoc genere miraculorum, ſanè admirabilium,

lium, præcelluere inter S. Brunonis posteros propè innumeri. Neque tamen videri volo declinare difficultatem, & quæ passim miracula dicuntur, vulgoque admirationem mouent à Cartusia & S.Brunonis posteris ablegare, cùm suppetat apud Petrum Sutoris [a], vnde sitis cupientium audire miracula, ad plenum restinguatur. Quanta enim supra naturam, regentibus Cartusiam Guigone & Hugone, patrata memorat? Quanta sub Antelmo, qui demum inde abstractus Alexandri Papæ autoritate, Bellicensem cathedram tenuit? Quot & qualia sub Iancelino, quem oportuit, Cartusiano Laïco innumeris cuiusuis generis miraculis post mortem celeberrimo, & idcirco quietem Cartusiæ per iugem vndecunque accurrentium affluxum perturbanti, frænos imponere; ex obedientia mandando, vt finem denique faceret edendi miracula, quod illicò est consecutum obediente Deo voci hominis; & quod ille olim defunctus dixit, monstrante mortuo, nunquam mori obedientem. Sub Bosone, Claro, Iacobo Villiacensi, Ioanne Birello, Guillelmo, de Mota Cartusiæ moderatoribus, multa & eximia miracula sunt patrata, quæ eorum Actis inserta, ibi legi possunt. De miraculis verò sanctorum Hugonis Lincolniensis, Antelmi Bellicensis, Stephani Diensis præstat prorsus silere quàm pauca dicere. Sunt enim tam multa tamque insignia, vt nec percenseri hoc loco omnia;

[a] *lib. 2. de vita Cartus. tr. 3. c. 5.*

nia; nec præteriri aliqua abſque iniuria poſſint.

4. Attingamus alia minùs ab æuo noſtro ſemota, nec illis de ſplendore coocedentia, ſed attingamus duntaxat. Ioannes cognomento Hiſpanus, qui primus Cartuſiam Repauſatorij in editiſſimis Allobrogum iugis conſtitutam, Prior rexit, feraciſſimus miraculorum, nec vulgarium ſemper fuit; nec hodie ſiccata eſt vena diuinæ per eum beneficentiæ, in curandis cuiuſcunque generis ægris. Renouatum eſt ad eius tumulum celebre miraculum, terræ quam poſtremam preſſerant Chriſti veſtigia. Eam enim Sulpitius Seuerus [a] cum aliis prodigiis nobilitatam fuiſſe tradit; tum eo nominatim, quod [cùm quotidie confluentium fides, certatim veſtigia Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non ſentit; & eadem adhuc ſui ſpecie velut impreſſis ſignata veſtigiis terra cuſtoditur.] Cui affine ac penè geminum eſt, grande miraculum Dominicæ Crucis, quæ iuxta S. Paulinum [b], in materia inſenſata vim viuam tenens, ita ex illo tempore quo inuenta eſt, innumeris penè hominum votis lignum ſuum commodabat, vt detrimenta non ſentiret, & quaſi intacta permaneret, quotidie diuiduam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus imputribili virtute & indetribili ſoliditate donatam. Similia multa notauit Ioannes Roberti [c]. Ad eundem modum terra tumulo huius ſerui Dei circumfuſa,

[a] l. 2. ſacræ hiſtoriæ.

[b] ep. XI.

[c] q. 5. Hubertina à n. 8.

fusa, quantumcunque sublegatur pio studio, ad morbosorum vtilitatem, non sentit dispendia, & quod decerpitur, occultis ortum accrementis, imminutionem deprehendi non patitur. De multis item ac magnis supra naturam operibus, patratis interuentu magni serui Dei Ioannis Angeli de Spenis qui fuit Clementi VIII. acceptissimus, commentarium legi omni fide conscriptum. Quomodò tacebo omnino, Hieronymum secundum, cognomento Marchantium qui anno 1588. electus in Cartusiæ Generalem præfuit Ordini vniuerso ad annum vsque 1594. quo feliciter obiit meritis cumulatissimus? Homo cuius caro ænea videbatur: cui volupe erat, frigidissima anni tempestate intra torrentem Cartusiæ subiectum demittere se se ad moram non modicam; qui ad villam, leuca circiter abiunctam, qui est limes vltimus secessionis à communi domo, concessæ Generali (*Curiere* vocant,) nudipes ibat, nec rarò per interiectum desertum quatriduo toto oberrans solis herbis & pomis agrestibus famem depellebat, inibique incurrens in aliquam Crucis imaginem, astringebat suauissimè; nec nisi post horas ternas aut etiam quaternas, cessabat stringere ac suauiari redemptionis nostræ monimentum. Dignus qui miraculis insignibus claruisse, & quod fama de eo fert, mortuos quoque excitasse, ad vitam credatur. Sed de eo à fide

dignis testibus disseminata, deque aliis passim notis prodita, insignia supra naturam opera, sciens dimitto.

5. Vnum alium cuius apud nostrates scriptores obscurior est memoria, nequaquam reticebo. Odonem dico à Novaria; qui tempore Clementis III. cùm in Sclauonia Priorem ageret Cartusianæ familiæ, in ciuitate Iadercces, oppressus ab Episcopo, nec à Pontifice ad quem confugerat subleuatus, hæsit Taliacozi, in SS. Cosmæ & Damiani Parthenone, iubente eodem Clemente, quem Aduhisia Abbatissa sanguine eidem Pontifici coniuncta, in eam rem interpellauit. Ibi hærens Sanctus Senex, tot & tanta miracula superstes ac defunctus patrauit, vt permotus fama eorum Gregorius IX. Abbatem S. Martini Reatinæ Diœcesis, & Custodem Fratrum Minorum, datis literis anno Pontificatus 13. Decembris 10. quarum initium est, *Ad audientiam nostram*, in Sancti huius viri vitam, mortem, atque miracula inquirere iusserit. Illi exquisitè parentes, Odonem vitam asperrimam ad ætatem vsque decrepitam, in parua cellula ad latus parthenonis exegisse, & ibidem diuinis visis recreatum feliciter excessisse, testati sunt. Ex tabulis verò tunc confectis, quæ extant, adscripto anno 1240. tot & tam multa Beati viri miracula, in omnis generis ægros patrata constat, vt qui ea legerit, parcitatem miraculorum Cartusianis

tusianis nunquam sit impacturus. Ricardus de S. Germano, in Chronico quod Vaticana, & Cassinensis, aliæque locupletes bibliothecæ manuscriptum asseruant, multitudini miraculorum Beati huius viri attestatur, ad annum. 1239.

6. Reuellendus superest scrupulus ille, quomodò igitur lapis Lydius sanctimoniæ; vindicatio inquam Ecclesiastica, siue Canonismus; tam paucis obtigit in Cartusiano cœtu? Tempore sanè Bonifacij Ferrerij qui anno 1410. Cartusiæ præerat, vnus ea honorum emphasi donatus erat, S. Hugo Lincolniensis, Episcoporum speculum, Regum discolarum malleus, vindex Ecclesiastici Ordinis indefessus, cuius laudibus nulla par sit oratio. Sæculo superiore idem decus S. Brunoni obtigit, per Leonem X. S. Stephanus Diensis, & S. Antelmus Bellicensis, Antistites è Cartusia educti, publicis cælitum honoribus Diæ ac Bellicæ celebrantur, suffragio populorum & tacita saltem Rectorum Ecclesiæ approbatione. Qui prætereà cælestium honorum prærogatiua in hoc Ordine, extra ipsum ordinem potiatur, nullus occurrit. Quomodò ergo tam vberem, tamque variam Sanctorum huius Ordinis multitudinem quantam expressimus, infossam auiis recessibus reliquit sacrorum excubitorum diligentia, siuitque Deus cum fidelium damno delitescere? Extricat se multipliciter ab hac

implexitate Petrus Sutoris [a], sed illa videtur expeditio facillima & optima. Non tam sollicitus fuit Ordo Cartusianus multos sanctos suos patefacere, quàm multos sanctos facere.

[a] *lib. 2. de vit. Cart. tr. 3. c 6.*

7. Absque splendore Canonismi, qui accidentarius planè est, & absque veræ cumulatæque sanctitatis decessione abesse potest; omnino multos, eosque lectissimos sanctorum flores, tulit Cartusia. Sub Guigone quem dictum *Bonum Priorem*, habent Acta S. Antelmi, floruisse inibi sanctos lectissimos magno numero, ex S. Bernardo & Petro Cluniacensi ad eum scribentibus, liquet. Acta S. Hugonis Lincolniensis, tempus Basilij inibi præsidiis attingentia, describunt Cartusiam quasi hortum Domini, tot sanctis viris redundantem, vt non secus ac pratum cæleste luminosis syderum renidens floribus appareret, vt Basilij Seleuciæ florulentam comparationem huc transferam, ex oratione eius prima. Benè sit Arnoldo Bostio Carmelitæ Gandensi, qui ante annos 150. (nam anno 1499. viuere desiit,) secundùm B. Brunonem, quinque supra triginta lectissimos Dei seruos compertæ sanctitatis publico dedit, professus ingenuè, proferre se ex messe plena manipulum; cùm superessent, qui non minore iure proferri possent propè innumeri. Dorlandus Bostij æqualis [b] plerosque ex nomine signat; id quod facit etiam Petrus Sutoris [c]. Alij iustis lucubrationibus alicuius singularis

[b] *lib. 5. & 7.*
[c] *lib. 2. de vita Cartus. tract. 1. c. 4. & 5.*

laris vitam sanctitate refertissimam sunt executi: vt Bartholomæus Senensis vitam Stephani Maconi, alumni S. Catharinæ Senensis, totius sanctimoniæ & virtutum omnium viri. Iacobus Zenus vitam Nicolai Albergati; qui & in Cartusia omnis generis sanctorum exemplorum copia abundauit, & eductus ad Ecclesiasticos apices, absolutissimam ideam Episcopis & Cardinalibus exhibuit, ad quam si se conformarent, felicem præstarent Ecclesiam. Odonis Nouariensis res præclarè gestas quas vtcunque libaui, Abrahamus Bzouius tom. 13. Annalium Ecclesiasticorũ immisit anno 1240. num. 15. Petri Blomouennæ viri innocentissimi & multis religiosis ornamentis clarissimi, vitam, Theodoricus Loherius publico dedit. Commentarium de vita Ioannis Angeli de Spenis viri planè magni, suprà iam laudaui. Quid singulos Cartusianos sanctimoniæ gloria conspicuos capitatim appendo, cùm prostet apud Georgium Garnefelt plena messis huiuscemodi lectissimorum Dei seruorum, eo Catalogo quem de sanctis Ordinis Cartusiensis cõfecit, & scriptionibus de vita Nicolai Albergati subtexuit? Possum pro eo syllabo, plenum polyandrium proferre. Tyro vacillans, imò sollicitanti ad fugam Satanæ dans manus, cùm per Cartusiæ cœmeterium transiret, suum in spiritu Magistrum, qui ea ipsa die fato concesserat, cum alio item Monacho pridem vita fun-

cto, conspexit; & iis docentibus comperit, omnes qui in ea sepulchrali area tumulati erant (& erant omnino multi;) æterna pace gaudere, vno dempto proprietatis lepra contacto, laïco: visum, transfugæ saluti fuit, vbi tantam sanctorum multitudinem, vno capi sepulchreto, fide testium iam non fallacium deprehendit. Ac ne sancti duntaxat Confessores illustrasse Cartusiam viderentur, octodecim generosissimi fidei pugiles, tanto post Bostium, anno Christi 1535. & 1537. ac 1542. rugientibus in Catholicam fidem Leopardis, immanitatis præda facti, luculentum testimonium veritati profuso sanguine perhibuerunt, de quorum sanctitate nemo martyrij iurium conscius, dubitatione tangatur, V. P. Ioannes Houton Londini Prior, vt gradu cæteris, ita fortitudine & alacritate præiuit; cuius decora æqualis eius Mauritius Chancæus luculento commentario expressit; quem cùm lego, Eusebij, aut similium antiquorum de primæuis Ecclesiæ martyribus lectione pasci, haud iniuria videor; adeò affinia sunt vtrorumque certamina. Aliorum 12. Cartusianorum Ruremundæ in Geldria pro fide Catholica ab Hæreticis sub Guillelmo Auxaïco interfectorum, historiam dedit Arnoldus Hauensius.

§. III.

§. III.

Parthenones ſanctiſsimi, è B. Brunonis diſciplina.

1. NE fœminas quidem Cartuſiano Ordini adſcriptas Sanctitatis gloria defecit: quod enim S. Chryſoſtomus [a] præclarè admonuit, certaminum Chriſtianorum, ſexus quoque infirmus eſt particeps. Eiuſmodi fuere in Cartuſiano cœtu benè multæ, quæ ſupra ſexum fortes, ad inſignem Sanctimoniæ gloriam pertigerunt. Margaretam de Dion, cœnobij Pauletini haud procul Lugduno Monialem, cuius ſcripta quædam miram pietatis fragrantiam inhalantia legere memini, Dorlandus deſcribit [b], mirabili florentem ſanctimonia, Chriſti ipſius familiaribus alloquiis ſæpè fruentem, & aliquando eiuſmet manu factam diuini cibi participem, cùm partem hoſtiæ ſacrificantis Vicarij, Chriſtus ipſe viſibiliter conſpicuus, decerpſiſſet. Florebat Margareta nõ ſub annum 1305. vt Dorlandus ſcribit, ſed vt habetur ex libro ſacrarum eius meditationum, anno 1286. Nam anno 1294. iam ad cælos euolarat. Sed ô præcelſos ad omnem ſanctitatem animos in Beatrice, quæ ineunte ſæculo tertio decimo claruit, ibidem Pauletini, vt tradit in catalogo Garnefelt. Veriùs dixiſſet, vixiſſe Parmeniæ iuxta Tullinum, in Parthenone nunc

[a] *Orat. de S. Barlaam, & initio laudationis S. Ignatij.*

[b] *lib. 5. Chron. c. 3.*

nunc exciso. Huic Beatrici parum fuit ad sensum aliquem vulnerum Christi capiendum, forasse sibi manus; nisi singulis sextis feriis obductionem vulnerum prohibitura, adacto clauo ferreo ea reuocaret. Digna cui Christus ipse, specie cruci confixi, contuendos obiiceret sacros illos pretij nostri fontes, & insignibus illam cælestis lætitiæ sensibus perfunderet, nec paucis reuelationibus honestaret.

2. Quibus verò coloribus præstantissima sanctimoniæ insignia quæ in B. Rosselina huius instituti Moniali micuerunt, conspicienda dabo? Inuidit posteris nomen eius Dorlandus, tametsi obiter eam presso nomine attingit [a]; eamque causam fuisse puto, cur Garnefelt hanc gemmam in suo syllabo præterierit, nomine ignorato. Eam illustrissimi Marchiones Des Ars, Gentilem suam meritò gloriantur. Acta antiqua BB. Elzearij & Delphinæ in coniugio Virginum, B. Rosselinam eorum fuisse sobrinam docent. Frater illi erat Hallio de Villanoua, Magnus Rhodiensium Magister, qui sorori gratificaturus, Parthenonem Cellæ Robaudi in Foroiuliensi diœcesi, sua impensa ædificauit; Elzeario de Villanoua Digniensium Antistite altero B. puellæ germano, qui opinione sanctimoniæ clarus è viuis excessit, Ecclesiam cùm constructa fuit, initiante; in qua B. Rosselinæ sacrum corpus tanto post obitum, (nam anno 1206. excessit è vita,) hodiéque incorru

[a] lib. 5. c. 34.

incorruptum perſeuerat, & omnino multis illuſtratum eſt miraculis, quæ referre ſingulatim, inſtituti ratio non ſinit. Sed illud vt maximè velim, nemini obſcurum, diſſimulare non licet. Sanctæ puellæ oculi è ſuis locellis exempti, & in pyxide ſeorſim aſſeruati, raro miraculo, æquè vigent, & viuaci lumine contuentes feriunt, ac cùm virgo ſuperſtes erat; cùm tamen in aliis defunctis primi langueant & concidant. Cur hæc oculis ſacræ Virginis repenſa ſit à Deo gratia, coniectare licet ex oculo Ludouici Catalaunenſis Epiſcopi, quem aduersùs impuram Reginam virum vltrò rapientem, nullo fœdatum immundo conſpectu, poſt mortem Deus viuidum & inextinctum ſeruauit. Similiter itaque ſacræ huius Aſcetriæ pupillas in mortis iura tranſire par non fuit, quæ ſemper fuerant quod Græcè dicuntur, vt Cæſarius obſeruauit: Κȣ̃ραι nimirum, ſiue *virgines* ac *vſquequaque puræ*. Eximia ſunt, quæ de huius virginis, etiam cùm in ſæculo puellula degeret, cæleſtibus fauoribus prodita ſunt. Nam præter cætera, panes quos ad pauperes clam domeſticis efferebat, in roſas illicò ſunt verſi: cùm excuſans pueriliter factum ſuum, roſas eſſe dixiſſet, quas linteo obuolutas efferebat. Facto planè gemino ei quod de B. Petro Luxemburgenſi, deque B. Caſilla Toletana in conſimili euentu, habent eorum acta.

3. Per ſatyram, alias quaſdam Cartuſiani inſtituti

ſtituti aduerſus Satanam Amazones, attexo & abeo. Agnes domus Excubiarum præfecta, miraculis clara. Ibidem ſoror Victoria, natalibus & virtutibus nobiliſſima. Ac etiam Margareta quæ anno 1193. cæleſtibus operibus nobilitata migrauit. Anna domus Berthaudi Antiſtita ſpiritu prophetico & miraculis illuſtrata. Diana de Villanoua, cuius corpus poſt annos à morte quinquaginta, nitentiſſimum & abſque vlla æui iniuria perſeuerans apparuit. Claudina Montemaureſia, cui bimulæ, afflatu prophetico conceſſum eſt, patris & maioris natu fratris obitum prænunciare. Elizia, Prati Baionis Monialis; ibidemque Agnes, ambæ virtutibus & diuinis fauoribus celebratæ. Catharina in Parthenone Prati mollis, ſanctitatis laude præcellens. Ioanna, Margaretæ de Baugis, Humberto Belliiocenſi nuptæ, domus Pauletini fundatricis, filia: quæ duobus miſeris inibi procantibus, (proh ſacrilegium!) celerem obitum prænuntiauit, & vt vterque ad poſteros genitiuum notaculum tranſmitteret, increpans, ſpurios illos, effecit. Anna Pedroza in Parthenone portæ cæli vitam exegit, quam mors piiſſima, & corporis poſt mortem incorruptio, eſt conſecuta. Mitto reliquas: ne non tã obiter hoc decus ſacri cœtus Cartuſiani attigiſſe videar, quã probandæ diligentiæ in argumẽto iuſtis voluminibus implendis idoneo, conſiliũ ſuſcepiſſe.

4. Illud

4. Illud tamen præterire nec possum, nec debeo, plerasque ex hisce sanctimonialibus in S. Brunonis Parthenonibus ad perfectionem excultis, omnino tales fuisse, quales pictor optimus orationis suæ penicillo expressit. S. Chrysostomum dico, qui [a] describens Parthenones sui temporis, & nobiles plerasque virgines tanquam florulentos surculos in illos Dei hortos à sæculi amœnitatibus feliciter transplantatos, ea dicit quibus Moniales de quibus ago, prædelineasse videri possit. Præfatus enim de Montanorum, hoc est Monachorum in montibus degentium, asperitatibus & vitæ duritia, quæ planè in Montanos, quales Cartusiani de quibus hactenus egimus, bellè cadunt; subdit. [Et quid de viris dico? Puellæ nondum viginti annos natæ, quibus omnis illa ætas in thalamis & delicato otio consumpta est; in thalamis inquam odoriferis, vnguentis, ac suauissimo thymiamatum odore plenis, quæ in lectis teneris decumbebant teneræ & ipsæ natura, multoque & accurato cultu molliores factæ; quæ totos dies nihil aliud habebant operis, quàm ornare seipsas, aurum gestare, multisque deliciis frui, ne sibi quidem ipsis quicquam inseruientes, sed plures circa se famulas ad omnia promptas habentes; quarũ vestes teneræ, ipso etiam corpore teneriores, linteaque tenuia & delicata erat, quæ in rosis etiam, similibusque fragrantiis cõtinuè versabantur;

[a] *hom. 13. in epistolam ad Ephes.* in morali.

versabantur; istæ mox vt igne Christi correptæ sunt, omnem illam mollitiem delicatamque naturâ exutę, educationisque pariter ac ætatis suæ oblitæ, velut generosi quidam Athletæ, proiecto quicquid molle erat, in media certamina proruperunt. Et videbor fortè incredibilia dicere, sed vera sunt. Audiui quippè ego, eas virgines olim quidem, itaut dixi, teneras; quæ seipsas tamē posteà tam austeræ disciplinæ dediderunt, vt indumēta pilosis asperiora, nudis imponerent corporibus: & plantis aliquando admodùm mollibus, iam nudis incederent; herbidoque thoro cubarent: imò maiorē noctis partem vigiliis insumerent, & neque vnguenti alicuius, neque alterius cuiuspiam eorum quibus olim assueuissent, curam haberent: sed caput etiam, adeò quondam diligenter curatū & ornatum, iam ita negligerent, vt capillis essent temerè ac negligenter vinctis, in eum duntaxat vsum, vt indecorum ac turpitudinem vitarent. Mensam verò haberent, vespertinam duntaxat; mensam inquam, nec olerum, nec panis, sed siliginis, fabarum, cicerum, oliuarum; & ficuum. Opera verò earum, continuum lanificium, & quæ duriora essent, quàm quæ famuli domi præstarent. Quid enim? Corpore laborantium curam susceperunt, lecticas baiulantes, pedesque abluentes. Quinetiam pleræque illarum coquinæ inseruiunt. Tanta potest ignis Christi, adeò scilicet, mentis

alacritas

alacritas naturam ipſam ſuperat.] Nihil hîc de ſui temporis Partenonibus, à S. Chryſoſtomo refertur ac celebratur, quod in hiſce S. Brunonis filiabus, quarum res per ſummum verticem ſignauimus, non æquè ſplendidè, aut etiam ſplendidiùs micet.

§. IV.

Nobiles in S. Brunonis familiam allecti.

1. ORnamentum aliud Religioſi cœtus, tametſi extrinſecum, inſignis tamen apud luſcioſum vulgus ſplendoris; cooptatio multorum nobilium, proferebatur. Cuiuſmodi decus in pleriſque ſacris familiis oſtentatum vidimus, longis Magnatum, ac etiam Regum, & Imperatorum indicibus, in eos cœtus aliquando allectorum, ad ſacræ familiæ illuſtrationem conſtructis. Nec eſſe id prorſus euanidum cœtus religioſi ornamentũ, monſtrat accuratè (vt omnia,) ſapientiſſimus Pater Hieronymus Platus, aurei operis de bono ſtatus religioſi, libro 2. cap. 26. & 27. Et facit ad hoc quoque negotium, egregia diſputatio S. Paulini epiſt. 10. occaſione Melaniæ, quæ auis Conſulibus nobilis, nobiliorem ſe, contemptu corporeæ nobilitatis, ſæculo calcato dedit. Ego obiter hoc Cartuſianæ familiæ decus attingendum ſuſcipio; qui ſciam iure tradi à prudentibus, ambiguum eſſe, præſtétne reli-

giosis occinere, quod Paulus Christianis, *Videte fratres vocationem vestram, quia non multi nobiles, inter vos*, an verò multitudine nobilium veluti purpuræ clauis, pannosam religiosi cœtus mastrucam inoculare. Quod verò est nobilitas extra virtutes? Quid interest inter lutum & lutum? Intendo his verbis, digitum, in fortes grauissimorum duorum Patrum de hoc argumento disputationes Nazianzeni [a], & Saluiani [b]. Hos adeat quisquis volaticum hoc bonum, (nam & lunæ symbolo apud Romanos signabatur, ob euaniditatem & mutabilitatem,) iusto auctiùs extulerit. Neque tamen eò pertinet hæc oratio, vt hoc ornamenti genus Cartusiæ abiudicem; qui sciam quàmplurimos ex prima nobilitate, gratulatos sibi esse cooptationem in Cartusianam familiam. Ac ne modestiam aliquorum superstitum sauciem, Erasmus Comes de VVitten, inter Germaniæ Comites opibus ac gradu præcellens, sæculi fastum ac pompas in Cartusia calcauit. Guido, Rogerij Comitis ac Calabriæ Principis filius, in Cartusia SS. Stephani atque Brunonis, nuntium mundo remisit anno 1185. Humbertus ex vxoris iure Delphinus, coniuge defuncta, & Saletæ (quem Parthenonem fundarat,) tumulata, sæculo calces illisit in Cartusia Vallis beatæ Mariæ, Diensis diœcesis, sub annum. 1295.

[a] *orat. in Maxim.*
[b] *de prouid.* sub finem.

2. Illud animaduersione dignius, quia singularem

gularem prodit humilitatis affectum. Viri iuxta sæculi canones nobilissimi, cœtum Cartusianum capessentes, cùm possent ad sacerdotium aspirare, maluerunt recumbere in nouissimo loco, & laïcis accenseri; rati negligendam esse in domo Dei prærogatiuam omnem, præterquàm virtutum & meritorum, præsertim verò demissionis & humilitatis, quæ virtus Christi est, & veluti characteristica electorum. Itaque maluerunt sancto fastu calcare sæculi fastum, vltrò deiecti ad imum locum, quàm in Dei fimeto ac in sterquilinio, (sic enim vir magnus religiosam domum nominabat,) honores sibi stultissimè fingere, & à vilissimis quibuscunque muneribus abhorrere. Edidit hoc Christianæ sapientiæ specimen, cùm Cartusiam iniret, Terricus Federici I. Imperatoris filius, in cœnobio Syluæ Benedictæ conuersus, anno 1170. Idem fecit Gerardus Comes Niuernensis, qui inter Laïcos censeri voluit. Idipsum fecit alius in Austria Comes, cùm in Sclauoniæ Cartusia *Pletiach*, hoc institutum capesseret. Ottho quoque à Steinavy, vir primariæ nobilitatis, humilem laïcorum sortem præoptauit, cùm de assensu vxoris sæculo calces illideret, & in Cartusiam Asthein commigraret. De Comite Muriensi idem notauit Vernenus in fasciculo temporum, anno 1153. Nec prætereundus est Petrus Frecoldi, Clementis IV. Pontificis Maximi, pater; quem

Iancelinus Cartusiæ præfectus anno 1170. laïcis accensuit, cùm pertæsus sæculi, sub signis B. Brunonis, Deo militare decreuisset. Hanc ego animi demissionem, in tantis viris, gemmam dixerim pretiosissimam, qua aurum mundanæ nobilitatis, quo præfulgebant, & decus religiosæ vocationis, suis pectoribus à summo artifice Spiritu sancto commissum, eodem Dei Spiritu agente, inocularunt. Fuit id planè nobilitatem suam nobilitare, & eò auctius sibi ac religioso Ordini ornamentum conciliare, quò maior erat illorum propter Christum deiectio, vltrò suscepta.

§. V.

Quale Cartusiani cœtus ornamentum, Antistites, & quàm multi ex iis, siue designatis, siue iam promotis, Cartusiani.

1. ÆGrè à me impetro, vt numerositatem Antistitum ex Ordine aliquo assumptorum, quam aliqui inter prima religiosi cœtus decora statuunt, vel postremo loco proponam. Quid enim? si pauci, aut etiam nulli ex aliquo Religioso cœtu delecti essent Antistites, num cœtus ille inglorius habendus foret. Quis verò adeò cæcus sit, vt non videat quanto cum damno alicuius Ordinis, deligantur

tur multi ad ſacras infulas? Præterquàm quod enim ea ratione, in aliis ſementis, (vt S. Chryſoſtomus [a] nominat) peſtilentis deſiderij ad rectionem & dominatum aſſurgendi, & in ea grauiſſima pericula incurrendi, quæ idem os aureum [b], alio loco copiosè iuxtà ac eleganter recenſet: perſpicuum eſt; cum his diſpendiis quæ ferè attingunt delectos, ingens totius Ordinis detrimentum coniungi; quatenus non poſtulantur ad ſedes Antiſtitum; inidonei quique, ſed qui maximè valent egregiis naturæ & gratiæ dotibus; quorum ſubductio non poteſt non inferre plurimum nocumenti; ſicut perſeuerantia præ ornamentis quibus præcellunt, commodare inſigniter vniuerſo corpori religioſo potuiſſet. Quare non videtur admodùm conſultè proferri tanquam ornamentum Ordinis numeroſitas Antiſtitum inde eductorum: cùm ea numeroſitas exitium portendat Ordinibus. Quod præcauentes ſacratiſſimi quidam auctores Religioſorum cœtuum, iniectis voti repagulis tranſitũ è religioſa humilitate ad infulas præpedire ſategerunt: Idque votum ſanctè ac piè emitti, fusè proſequitur Suares [c]. Nos idipſum aſtruximus in Heteroclitis ſpiritual. [d] repellentes quendam filium cuiuſdam, huic voto temerè obſtrepentem. Iure igitur hærebam eſſétne Antiſtitum numeroſitas in Religioſi cœtus laude collocanda; nec inde exiſtimans celebrandum eſſe cœtum Cartuſianorum,

[a] *lib. 1. de ſacerd.*

[b] *hom. 3. in Acta.*

[c] *tr. 10. de relig. l. 6. c. 7. & 8.*

[d] *part. 1. ſect. 2. punct. 2. à n. 41.*

 rum,

rum, si multos Ecclesiis suppeditasset Antistites: nec depretiandum, si paucos, aut etiam nullum dedisset.

2. Illud verè est in alicuius Religiosi Ordinis ornamentis recensendum, quòd multos habuerit dignissimos, qui promouerentur in Antistites, præ sanctimonia & cælesti sapientia; quibus maximè cardinibus volui necesse est idoneam Ecclesiæ rectionem. Et ex hoc capite, celebrari meritò debet, Cartusiana familia, quòd hominibus semper abundarit dignissimis, quibus Ecclesiæ crederentur; quique pares esse possent oneri regendarum animarum Angelicis humeris formidando. Celebrarim item potiùs Cartusianum Ordinem, quòd multi ex eo, cùm ingererentur infulæ & apices Ecclesiasticarum dignitatum, constanter obstiterunt, ne de statu humilitatis, & sede quietis abstraherentur, gloriosiores spretis honoribus quàm alij captatis aut admissis. Scio apud Ioannem Sarisberiensem lib. 7. Polycrat. cap. 23. quendam illius æui notatum, quòd factus esset Cartusianus, vt promoueretur in Episcopum. Sed hoc Sarisberiensis non prorsus asseuerat, cùm tantùm dicat id fuisse iactatum, & si diceret, audiendus non esset, & neque in quibusdam aliis quæ homo minùs affectus erga Religiosos Ordines in eos effundit. Credendum potiùs hunc ne Episcopus fieret adiisse Cartusiam, sicut multi iã Cartusiani infulas reiecerũt.

De

De S. Brunone in Rhemensem ac Rhegiensem Præsulem electo iam dixi. Bernardum, ex Priore Portarum, Cartusiæ Generalem præfectum, postulabant Mediolanensis clerus ac populus ad Episcopatum. Et cùm non posset induci vt eum honorem admitteret, actum est apud Innocentium I I. vt renitentem adigeret. Iamque Pontifex iussa fortia & ineluctabilia interpositurus erat; nisi S. Bernardus Claræuallensis, vt videre est apud ipsum [a], Pontificem interpellasset pro amico; qui haud dubiè S. Bernardum Innocentio percharum, adhibuerat pro se deprecatorem. Hunc tamen posteà adactum esse ad Episcopatum Diensem, aliis silentibus prodidit Petrus Canisius. Alius Bernardus cognomento *à Turre*, qui Prior item Portarum vixit aliquandiu, & in Generalé denique est promotus anno 1253. delatum sibi Episcopatum Bellicensem, vel Archiepiscopatum Bisuntinum, constantissimè repudiauit. Et cùm cognati obstrepere pergerent, nec fatigandi eum finem facerent, relicta Portarum domo ad quam è sæculo concesserat, ad domum Repausatorij inter Faucunatum iuga auia se recepit, donec tempestas illa remitteret: Guifredus anno 1215. Viennenses infulas constanter reiecit, vt & Franciscus Belli, Astenses post Panigarolam nostra memoria, posthabuit quieti Cartusianæ Mediolani.

[a] *ep.* 155.

3. Ac ne inferioris tantùm ordinis digni-

tates, cùm adiri possent repudiatas, quis cēseat, ab his de quibus agimus, suppetunt exempla nō admissi, cùm ingereretur, gradus eminentissimi in Dei Ecclesia. Fecit hoc æterna cum laude Ioannes Birellus, is quem in quadam epistola Franciscus Petrarcha [a], sæculi sui luciferum rutilantissimum, innumeris quos ipse non nosset, præ eximia virtute notissimum pronunciauit. Cùm vita functo Clemente VI. Cardinales territi denunciatione Cardinalis Petragoricensis, à seuerioribus eius moribus timendum præmonentis, abstitissent cœpta Birelli in Summum Pontificem designatione, & Clementi Innocentium VI. subrogassent; nihil antiquius habuit Innocentius, quum primùm Apostolicæ sublimitatis speculam conscendit, quàm vt Birellum Cardinalibus aggregaret; idque denuò postmodùm tentauit, sed cassis semper votis, cùm pro amicitia fortibus & ineluctabilibus iussis adigere hominem nollet; ipse autem Birellus nullis Pontificis desideriis, vt eum gradum admitteret, emolliretur. Dignus pro cuius veneratione & amore, Innocentius Cartusiā Vallis benedictionis Villanouæ iuxta Auenionem, munificentissimè erigeret, & cuius mortem inaudiens, exclamaret, *Heu! Sanctior religiosus, & præstantior totius mundi Clericus, defunctus est.* Æmulatus in repudiatione purpuræ, Birelli constantiam Guillelmus Raynaldi, & ipse Cartusiæ præfectus Generalis, delatum

[a] *in quadā epist.*

delatum à Bonifacio IX. decus Cardinalis, renuit admittere. Fecit idipsum Elizarius Grimoaldi de Grisac, cùm vrgeretur ab Vrbano V. patruo, vt cum Narbonensibus infulis galerum Cardinalitium admitteret: sed ille omnibus diuitiis Ægypti, quas à patrui paterno erga se animo sperare poterat, lubens præposuit improperium Christi, & fruitionem sancti otij ad pedes Domini. Eadem mens fuit Francisci Mariesme Cartusiæ præfecti, cùm & ipse ab Eugenio IV. ad Cardinalatum vocaretur. Hos ego inter Cartusianos, à calcatis eminentissimarum dignitatum fastigiis quę inire poterant, lubentiùs celebro, quàm si prehensatis huiuscemodi dignitatibus, vel citra captationem ingestis, essent potiti; quod gloriosius reuera sit, promeritos honores spernere præ humilitatis studio, & amore quietis, arctiorisque cum Deo coniunctionis.

4. Suppares istis qui honores necdum aditos repudiarunt, esse dixerim alios qui adepti thronos stolatos, (vt cum Nazianzeno loquar, nuncio iis remisso, tacti amore solitudinis, secessere in Cartusiam. Quos supra alios proximè recensitos, meritò esse celebrandos quis dixerit, cùm auctius esse decus videatur, honores aditos dimittere, quàm necdum collatos repudiare, duriusque sit degustata bonorum dulcedine excidere, quàm non nisi sperata carere. Honores itaque Ecclesiasticos ade-

pti nonnulli, ſumma cum laude, dimiſſo eo ſplendore, Cartuſianas latebras captauerunt. Fecit hoc Gaufridus de Loriolo Burdegalenſis Archiepiſcopus 1136. Fecit Engelbertus Cabilonenſis anno 1183. Fecit Humbertus Baugiaci Comes Archiepiſcopatu Lugdunẽſi inter Gallicanas ſedes ſublimiſſima potitus, qui anno 1273. viuere inter mortales deſiit, æternùm Deo victurus. Fecit & Bruno Viennenſis, ab eximia morum facilitate laudatiſſimus, & ſolidæ humilitatis expreſſum ſimulachrum; qui in cœnobio Cartuſienſi Vallis S. Mariæ, caducos honores reſpuens, feliciter exceſſit anno 1231. Fecit item Galterius Ducis Burgundiæ filius, ex Epiſcopo Lingonenſi monachus Cartuſianus Lauriaci: quam domum attributis de ſuo prouentibus fundauit anno 1177. Hugo Epiſcopus Aurelianenſis factus Cartuſianus in domo Ligeti, vbi anno 1208. feliciter obiit. Guillelmus de S. Maria ex Ladonienſi Epiſcopo Cartuſianus, fato functus anno 1236. Didacus de Sarmiento, ex Cabilenſi Epiſcopo monachus Cartuſiæ de Conis in Hiſpania, qui obiit anno 1548. Guillelmus Cheſolmius ex Epiſcopo Dublanenſi in Scotia, Vaſionenſis apud Cauares Antiſtes, Dimiſſis infulis ad Cartuſianos migrauit, quos inter quietem, & vitæ terminum nactus eſt, Romæ anno 1594. Tentauerat iam olim idem facere S. Godefridus Ambianenſis. Et reuera dimiſſo Epiſcopatu,

tu, Cartusiæ secessum iniuit, ibique per menses aliquot vitam in terris Angelicam exegit, porrò perrecturus, & ad extremam vitam in captatis Cartusiæ latebris perstiturus nisi Antistitem suum reposcentibus Ambianensibus, Cono Cardinalis & summi Pontificis in Gallia legatus, ac Rodulphus Archiepiscopus Rhemensis, & Patres Concilij Suessionensis, annitente Ludouico Francorum Rege, perhonorifica duorum magnæ autoritatis virorum, Henrici Abbatis S. Quintini, & Huberti monachi Cluniacensis legatione, abstractum à Cartusia ad suas excubias reduxissent. Ab his itaque potiùs Cartusiæ ornamenta repetam, qui aditos thronos deseruerunt, & Cartusiam expetierunt, quàm ab aliis siue multis, siue paucis, qui è Cartusia educti sint ad honores.

§. VI.

Non pauci è Cartusianis Antistites.

1. SEd demus ex parca & infrequenti ad non captatos Ecclesiasticos titulos promotione, refundi decus aliquod in cœtum religiosum, vnde probi & eo titulo digni Antistites, siue Cardinales, siue Episcopi deliguntur. Video enim id recensentem inter Religiosi status ornamenta Hieronymum Platum [a]. Neque hoc decus Cartusiæ defuit. Superstites premam, ne adulatus videar, si modestiam ipsorum ingrata

[a] lib. 2. cap. 29.

grata exornatione flagellem. Quare mortuis concolor fiam: imò breuissimè, & tantùm in transcursu eos perstringam. Non est porrò audiendus Petreïus qui [a] vnicum Chartusianum Cardinalem agnoscit Nicolaum Albergatum. Sed suppetunt alij.

[a] *ad l 4. Chronici Dorlandi c.24.*

2. Ac primùm Bernardus magnæ vir sanctimoniæ, & fragrantissimæ apud omnes pietatis, ab Innocentio II. Presbyter Cardinalis S. Chrysogoni renunciatus, & admittere eum gradum compulsus, ita se gessit, vt dignitatem exornasse potiùs, quàm exornatus ab ea videretur. Mortuus est anno 1138.

Gulielmus ex Cartusiano & Mutinensi Episcopo, Cardinalis Sabinensis, à Gregorio IX. promotus, vixit integerrimè atque sanctissimè, obsignante Deo miraculis insignibus sensum de eius sanctitate passim vigentem, eius Epistola data Lugduni 1244. ad Hugonem II. Cartusiæ Moderatorem, monstrat quàm ægrè ferret, quod à Cartusiæ dulcedine abstractus esset.

Ioannem de Nouo Castro, describit Richardus Amburgensis [b], è nobilissima Principum Nouocastrensium stirpe procreatum, postulatum in Bisuntinum Archiepiscopum; eaque postulatione effectum non sortita, in Niuernensem Antistitem electum; moxque etiam in Tullensem, & ab Vrbano VI. dictum Cardinalem, tot tantisque virtutum heroïcarum decori

[b] *l.4. antiquitatum Galliæ Belgicæ.*

decoribus in vita præfulgentem, vt dignus fuerit qui etiam post mortem multis miraculis illustraretur. Annotatur de eo nominatim, quod promotus in Cardinalem, Cartusiensibus institutis quæ complexus erat, arctè & firmiter inhæserit, nihil causatus nouum gradum, & incommodam ei dignitati Cartusianæ vitæ rationem. Cartusianum item amictum quem semel assumpserat, nunquam dimisit.

Ioannem Cardinalem Viuariensem ex Cartusia domus Diuionensis anno 1391. Auenioni vixisse legi.

Quibus verò verbis, Nicolaum Albergatum, ex Cartusiano Bononiensem Episcopum, móxque iubente Martino V. Cardinalem exornabo? Hic in Cartusiano claustro, & amplissimis dignitatibus, semper idem fuit. Nam & vestes retinuit easdē, quibus amiciebatur in Cartusia, & nō aliis cibis perpetuò vsus est, quàm quibus vescuntur Cartusiani. Innocentia vitæ fuit admirabili, certante cum sapientia, quam variis scriptis & parænesibus prodidit; necnon cum prudentia & tractandorum negotiorum peritia, qua cùm valeret plurimùm, ad Reges Francorum & Angliæ, conciliandos submissus, rursúmque ad Venetos, Florentinos, ac Ducem Mediolanensem fœdere iungendos, ablegatus: denique ad varios Principes atque Prouincias, pro fidei causa, & grauissimis Ecclesiæ negotiis ab Eugenio IV. missus, Conciliis Basileensi

leensi & Ferrariensi, postmodùm Florentino præpositus, omnia fidelissimè & sanctissimè obiuit. Dignissimus quem quotquot publica Ecclesiæ negotia tractant, studiosè æmularentur. Carolus Sigonius [a] plura de eo luculenter, itemque Ciaconius in eius vitæ breuiculo, post Platinam in Nicolao V. & in Pio II. *initio.*

[a] *l.4.de Episcopis Bononiẽsibus.*

Quòd futurum me mortuis concolorem, sim professus, dimittendus est Alphonsus Plessæus de Richelieu, è Cartusia quam repudiatis Lucionensibus infulis adierat, primùm Aquensis & Lugdunensis Archiepiscopus Galliarum Primas; tum Cardinalis: Cuius etiamnum superstitis decora cunctis prostantia, ne abblanditionis suspicionem moueam, malo contuenda permittere, quàm tenui stylo deterere.

Crescit non cogitanti materia, & dum propaginum S. Brunonis decora perstringere molior, induo me in vastissimæ operæ negotium, si velim quæ superant de Præsulibus è Cartusia assumptis, vel pauca, (vt circa Cardinales præstiti) in transcursu delibare. Quare secutus fidem syllaborum ab aliis confectorum, quos non refert excutere, capitatim duntaxat percensebo, quos annotaui; primùm Patriarchas, & Archiepiscopos, tum Episcopos.

3. Inter Patriarchas splenduit Ioannes Patriarcha Alexandrinus, domus scalæ Dei insignis promotor. Vixit anno 1334.

Antonius Surianus claruit apud Venetos, sub annum

annum 1500. eum apicem Ecclesiastici honoris adeptus, è Cartusiæ latebris eductus.

Ex Archiepiscopis suppetunt plurimi.

S. Hugo, ex Cartusiano primùm Gratianopolitanus Antistes, tum Viennensis Archiepiscopus, alius ab Hugone illo anteriùs Gratianopolis Episcopo, qui S. Brunonem excepit.

Albertus, ex Cartusiano, Taurinensis Archiepiscopus anno 1150.

Aymo, è Cartusia, ad Centronum, siue (vt nunc loquuntur,) Tarentasiensium metropolim promotus; cui etiam per annos 112. in magna sanctitatis & virtutum opinione præfuit ab anno 1178. quo sedem iniuit ad annum vsque 1290. quo satur dierum & plenus meritorum, migrauit.

Edmundus Cantuariensis, qui anno 1240. Pontiniaci migrauit ad superos.

Gulielmus de Beneuento, è Cartusiano, Archiepiscopus Ebredunensis, æui sui Principibus perchiarus, omnibus venerabilis, qui anno 1196. fato concessit.

Humbertus Cartusiæ alumnus, & Viennensis Archiepiscopus 74. integer vitæ, anno 1215. vita functus.

Alius Humbertus de Monchenu, Viennensis Archiepiscopus 86.

Bruno in Rhemensem Archiepicopum euectus anno 1091.

Gaufri

Gaufridus Burdegalensis Archiepiscopus anno 1136.

Gaufridus alius, anno 1215. Viennensi Metropoli præfectus,

Vmbertus ibidem Viennæ, Archiepiscopus, ex Cartusiano. Mortuus anno 1253.

Bonifacius, Thomæ Sabaudianorum Comitis filius, è tyrone Cartusiẽsi, datus Cantuariensibus Archiepiscopus. Vita fũctus anno. 1270.

Ægidius Senonensium Archiepiscopus, ex Cartusiano. 1292.

Bernardus vir virtutum omnium, abstractus è Cartusia, ad Tarentasiensem metropolim verbo & exemplo regendam anno 1320.

Gulielmus, ex Priore Montisriui, Archiepiscopus Arelatensis.

Florianus Iuli à Vbbasiani Archiepiscopus Gnesnensis sub annum 1550.

4. Inter Episcopos quos Cartusia dedit, neminem latent viri eminentissimæ sanctitatis & rebus in Ecclesiæ bonum gestis ac miraculis clarissimi, S. Antelmus Episcopus Bellicensis, cuius acta vndecunque spirant eximiam sanctitatem; & S. Stephanus post mortem Caluiniano furore martyr, vt dixi in SS. Lugdunensium Indiculo; Ac S. Hugo ex Procuratore magnæ Cartusiæ, Episcopus Lincolniensis, cuius illud est tam verbis substrictum, quàm sensibus refertum, sepulchrale lemma, à Clerico appositum, vt est cap. 32. Actorum eius.

Pontificum baculus, Monachorum norma, Scholarum,
Consultor, Regum malleus, Hugo fuit.

Prætereo S. Hugonem Gratianopolitanum Episcopum, quem scio in hunc syllabum referri à quibusdam, vt à Christiano Massæo [a], & Sigeberto in Chron. anno 1084. nec non Nauclero anno 1086. Generat. 37. & ab authore Operis Metrici de vita S. Brunonis; quia in Cartusiano secessu, intra vnam cum alio socio cellam aliquando vixit, sanctis Cartusianorum institutis inhærens, nec nisi repellente S. Brunone ad suos regrediens. Quòd non sim studiosus dilatãdorum huius syllabi phylacteriorum, consteťque S. Hugonem ante exceptos hospitio S. Brunonem ac socios rexisse Episcopatum, nec iis à se exceptis abdicasse, vt malè scripsit Volaterranus [b] alia ibidem peccans circa S. Hugonem; consultius visum est eum missum facere; æquè ac S. Gaufridum Ambianensem, qui breui spatio, vixq́ue per trimestre, (nimirum à festo S. Nicolai, octauo idus Decembris, ad ineuntem vsque Quadragesimam, vt habent eius Acta, [c]) Cartusianis legibus vixit, mœrens ac lugens ad Episcopatum reuocatus, legati Pontificij, ac Concilij Suessionensis auctoritate adactus, vt suprà tetigimus. Alios itaque hîc adscribamus qui nostram notitiam non effugerint.

[a] *lib. 16. Chronic.*

[b] *lib. 21. Antropot.*

[c] *lib. 3. c. XI.*

5. Agmen ducat qui anno 1112. vixisse, &

 virtuti

virtutibus claruisse proditur, Bertrandus Episcopus Sistaricensis, ex Priore Durbonis. 1173.

Pontius ex Canonico Lugdunensis Ecclesiæ, Cartusianus; tum Episcopus Bellicensis, ab anno 1123. ad annum 1140. quo obiit.

Odolricus inter Dienses Episcopus clarus anno 1145. vt scribit silentibus ferè aliis, Petrus Canisius 16. Cal. Ianuarij variis miraculis claruisse testatus: Et confirmat quoad miracula Bostius[a], qui de eius familiaritate cum S. Bernardo Claræuallensi, & inductione ad structuram mellificij sermonum in Cantica; nec non de eiusdem S. Bernardi Claræuallensis insignibus in hunc Bernardum Cartusiensem elogiis, meminit. Legatur Epistola S. Bernardi 155. quæ est ad Innocentium II. & Epistola 153. quæ est ad hunc ipsum Bernardum; vt & 154. & 155. Item Epistola 11. quæ est ad Cartusienses, præconiis huius sancti viri referta, de quibus item effusè semel & iterum auctor Actorum S. Antelmi Episcopi Bellicensis.

[a] *c. 3. illustr. Cartus.*

Ex eodem Portarum cœnobio, Giraldus, quem alij *Ayraldum* vocant, datus Maurianensibus Episcopus, eximia vir pietate, ab anno 1145. ad 1167.

Natalis è Cartusiæ Monacho electus in Gratianopolitanum Episcopum anno 1148. tametsi illicò cathedram honoris cessit Othomaro.

Ioannes

Ioannes eiusdem Ecclesiæ Episcopus anno 1165.

Guido ex Monacho Cartusiæ Portarum, Episcopus Maurianensis, & post eum eiusdem Throni insessor VVillelmus, ex Monacho Cartusiæ anno 1167.

Lambertus item, Monachus indidem, in eam sedem euectus anno 1176.

Ancelinus ex Priore Maioris Cartusiæ Episcopus Bellicensis anno 1161. ex Petro Sutoris [a], Idem habet Catalogus Generalium Ordinis Cartusiensis apud Iacobum du Breul [b]. Hunc tamen Ancelinum esse ipsum S. Antelmum leui vocis oblæsione, monet Petreïus [c].

Engelbertus ex Priore Vallis S. Petri, Episcopus Cabilonensis anno 1177.

Raynaldus ex Monacho Cartusiæ, Antistes Bellicensinum anno 1178.

Altardus itidem Bellicij Episcopus, vir sanctus, ex Priore Ameriæ anno 1184.

Guido ex Priore Maioreni Episcopus Augustentis 1185.

Antolinus ex Priore Vallonensi, Episcopus Gebennensis 1182.

Pontius de Villariis, ex Priore Sellionis, episcopus Matisconensis 1199.

Vmbertus de Mirabello, ex Priore Syluæ Benedictæ, quadragesimus Valentinensium Episcopus.

Gulielmus Gibellini, ex Priore Durbonensi

[a] lib. 2. de vita Cartus. tr. 3. c. 5.
[b] lib. 2. Antiq. Paris. p. mihi 445.
[c] ad c. 14. l. 3. Chr. Dorlādi.

Episcopus Vapincensis 1205.

Desiderius, ex Cartusiano Durbonensi, Episcopus Diensis 1213.

Amedæus Thomæ Sabaudianorum Comitis filius, ex Cartusiano, Episcopus Maurianensis 1220.

Petrus ex Cartusiano Monacho Repausatorij, in editissimis iugis Sabaudianis, Episcopus Gratianopolitanus 1248.

Lufoldus ex Cartusiano Vallis speciosæ, Episcopus Basileensis 1249. fato concessit.

Henricus ex Priore Portarum Episcopus Gebennensis, post Aymonem Bausanium 1260.

Antonius de Sem, ex Priore Aniagensi, Episcopus Finichallensis.

Pontius de Sableria, ex Priore domus S. Crucis in Laresio, Episcopus Grassensis, 1280.

Raymundus de Commercio ex professo Cartusiæ Glandeisij, electus in Episcopum Sarlatensem. Ibidem *Salate*, Gosuinus Episcopus, è Cartusiano Diestensi. 1420.

Ioannes à Gilbis Visitator Angliæ, postea Episcopus Laudunensis.

Leonardus, à Cartusia Bonæ fidei, Cortoniensis Episcopus, & Commendatarius Hospitalis S. Spiritus in Saxia. Obiit anno 1545.

Ludouicus Mercader, Episcopus Dertusensis.

Leonardus ex professo domus Bonæ fidei, Episcopus Cornatensis.

Didacus de Sarmiento, Episcopus Cubensis ex Priore domus de Conis.

Galterus, ex Cartusiano, Episcopus Herbipolensis.

N. De Simiane, ex Priore Villanouæ, Episcopus Aptensis, qui obiit anno. 1574.

Franciscus de Casanoua Aptensis Episcopus. Moritur anno 1588. sepultus Villanouæ, vbi Priorem egerat.

Andreas Capiglia, professus domus scalæ Dei, Cartusiæ propè Valentiam fundator, Episcopus Vrgelensis.

Bruno Rualde, Episcopus Coseranensis ex Cartusiano, Vicario domus Parisiensis, nuperrimè vita functus.

6. Qui honores in Cartusiam intulerint, aut veriùs ad honores Ecclesiasticos è Cartusia sint educti, hi occurrerunt. Si multi, decus hoc sacri Ordinis, qualecumque est, multitudine ac numerositate augescet. Sin pauci in tot sæculis quibus Cartusia ex antiquis Ordinibus sola vigorem suum ac florem seruat; & hoc quoque insigne esse eius ornamentum censendum est, quod inter tam multos infulis & præfectura Ecclesiarum dignissimos, tam exiguus numerus, præ latendi studio, & stuporatorum honorum contemptione, quò tam multi tanta contentione anhelant, pertingere neglexerint.

PVNCTVM XI.

Inſcriptio columnæ S. Brunonis, adhibitis magnorum virorum iudiciis, de ipſius per ſe S. Brunonis inſignibus ornamentis, déque ſanctitate cœtus per eum adunati.

1. SPectauimus hactenus S. Brunonem columnæ ſuæ inſiſtentem, & quà per ſe, quà per poſteros, ſanctimoniæ radios circumquaque diffundentem. Nunc pro veteri ritu, cuius exempla ſuppeditat Suidas V. ϛῦλος, apponenda eſt eidem columnæ inſcriptio. Sanè ſicut olim homines nequam proſtabant in columna deſcripti, vt attigi agens de Monitoriis [a], ita par eſt è contrario, viros probos exornari inſcriptione columnarum; idque etiam vſu antiquo in ſacris columnis fuiſſe receptum ferunt, quæ adducit Alcazurius [b]. Quia verò gloria & corona patris, eſt filius ſapiens, numerabo inter S. Brunonis decora, quæ de cœtu per eum inſtituto, præſertim in principiis, cùm adhuc autor ipſe ſupereſſet, aut caleret adhuc eius memoria, glorioſè ſunt prodita. Hæc eſt enim reuera S. Brunonis columna, quæ ſeceſſit à terra factus ſublimis, ac cælo vicinior. Siquidem magiſter bonus non potuit aliter docere, quàm vixit, vt de S. Benedicto aiebat S.Grego

[a] *p.2.c.7. n.6.*

[b] *in c. 3. Apocal. verſ. 12 notat. 1.*

S. Gregorius, in Dialogo [a] quem de eius vita & instituti conscripsit. Et de ipso S. Brunone sic habet epitaphium ab Ecclesia S. Petri Cassellensis, post eius mortem exaratum. [a] *lib. 2. c. 36.*

Recta Bruno via dux, & fons Philosophorum.
Non aliter docuit viuere, quàm studuit.

Nec alia vestigia presserunt socij, quàm quibus ipse primus institerat, vt vnius proinde exornatio, cum alterius celebratione, nexa necessariò sit & complicata.

2. Ipsius per se S. Brunonis characterismum paucis, sed insigniter exhibuit Guigo Maioris Cartusiæ Prior quintus, vir vndecunque eximius, iis Actis S. Hugonis Gratianopolitani, quæ iubente Innocentio II. confecit. Sic enim ibi scribit [b] [Magister Bruno, vir religione scientiaque famosus, honestatis & grauitatis, ac totius maturitatis quasi quoddam simulachrum.] Subdit mox ibidem expressum fuisse, & diuinitus S. Hugoni obiectum, fulgentissimi syderis specie, quod Arnoldus Bostius ex Ordine Carmelitarum illustres Cartusianos describens, facto initio à S. Brunone, refert ad eius sapientiam cum sanctitate certantem. [Nam veluti sydus purissimum & splendidissimum, singulari prærogatiua sanctitatis, superexcellenti puritate cõuersationis, doctrina eximia, & quàm multis salutari, miraculorum denique inæstimabili gloria ab Occidente vsque [b] *cap. 4.*

que in Orientem clarissimè refulsit.] Sed eius sapientiam, quòd superiùs [a] illustrata variè sit & confirmata, nihil refert hîc denuò ingerere; præsertim cùm ex eius scriptis possit de ea sufficienter liquere. Vt taceam quæ eo tempore quo viri sancti recentissima erat memoria, à variis Ecclesiis sunt conscripta summæ eius sapientiæ testimonia, quæ extant apud Surium 6. Octobris ad calcem Actorum S. Brunonis, quietus affirmatur, se totam ei dedisse sapientiam, & in eo vniuersam sedisse: fuisseque totius scientiæ, & penè omnium Clericorum, (id est studiosorum, iuxta illius æui modum loquendi) lumen & fundamentum.

[a] §. IX.

3. Dimisso itaque in præsentia hoc S. Brunonis ornamento, quod iuxta D. Augustini [b] monitum; in plerisque non sanctis eximiè micat, & in plerisque sanctis est pertenue, habet S. Bruno charismata meliora à quibus commendetur. Extant eorum multa luculenta testimonia in proximè laudatis lemmatibus à Surio exhibitis, quibus tot & tantis dotibus exornatus prædicatur S. Bruno, vt vix sit quod addi possit. Eoque nomine Fiscilensis cœnobij fratres, compendio multa expressuri, vocarunt S. Brunonem, *reuerendissimum, religiosissimum, eminentissimum*. Ecclesia Carnotensis nuncupauit, *Murum Ecclesiæ, florem Patrum, semitam iustitiæ, lucem & speculum mundi, sublime cacumen*. Ex Ecclesia S. Quintini Belloua

[b] l. 1. retrac c 3.

Bellouacenſis, Gauberius, *ſolum Brunonem, ſuo tempore, mundo renunciaſſe* prædicabat: Adeò enim perfectè mundum calcauit, vt præ aliis omnibus religioſa vita caput extuliſſe videretur, quantum ſolent inter viburna eminere cupreſſi: Vnde Vincentius Bellou.[a] Magiſtrum Brunonem, ait fuiſſe, *religione ſcientiáque famoſiſſimum.* Thomas Boſius[b]. S. Brunonem appellat *virum de cælo lapſum*, cui tam ſancti Ordinis, tam à terrenis abſtracti, ſtructuram crediderit Deus. Quod omnibus elogiis anteferendum eſt, extat epiſtola Paſchalis Papæ ad Lauduinum quondam S. Brunonis ſocium, gratulantis remigrationem in Cartuſiam, & inibi florens pietatis ſtudium. Ea epiſtola Pontifex tam magnificè de ſancto Brunone iam defuncto loquitur, vt nihil ad eius exornationem deſideretur.

[a] *lib. 27. ſpec hiſt cap. 8.*
[b] *l. 22. de ſignis Ecc. c. 35.*

Satin' ornamentorum ac decorum, columnæ eius aptè inſcribendorum, congeſtum eſt, ſi ipſum per ſe S. Brunonem ſpectemus? Non minora aut parciùs micantia, in eum refundere poſſumus ex iis quæ in Ordinem Cartuſienſem à variis larga manu cumulata, ad ipſum Brunonem tanquam ad radicem & originem meritò referuntur. Non aceruabo inconditè omnia, quæ vndecunque affluunt, (ecquando enim fieret referendi finis?) libabo duntaxat nonnulla illuſtriora, initio facto à dictis Rectorum Eccleſiæ, quorum iudicia, quippe à

Spiritu Sancto per eos tanquam per tubos & elices deriuata, in magna veneratione eſſe debent apud omnes Chriſtianos.

4. Alexander III. alloquens Cartuſienſes, [Cùm vos per Dei gratiam multa præmineatis gloria meritorum, & vitam ſolitariam eligentes, diuinæ contemplationi arctiùs intendatis; bonus odor religionis veſtræ, ad id nos inducit, vt communi & ſpeciali debito, quieti veſtræ debeamus intendere, & iura veſtra ſummoperè conſeruare.] Rurſus ſcribens Viennenſi Archiepiſcopo, eiuſque ſuffraganeis. [Non latet Diſcretionis veſtræ prudentiam, quanto deſiderio, quantóque amore Cartuſiani fratres diuinis intendant obſequiis; & abnegãtes carnalia deſideria rerũ terrenarum delectationes ſpernentes, ſobriè, iuſtè ac piè in hoc ſæculo viuere elegerint, & inceſſanter ſupernæ meditationi propoſuerint vacare. Vnde dignum eſt, & conueniens ac conſentaneum rationi, vt in tam ſancto & pio propoſito, Pontificalibus adiuuentur ſtudiis.]

5. Clemens III. ad Cartuſianos. [Inter virtutum aromata & ſanctorum fragrantiam ſtudiorum opinionis veſtræ balſamus, ſuo nobis odore diſcernitur. Qui cùm ſe aſperioribus inſtitutis à mundana ſeparet vanitate, & præclara reſplendeat gloria meritorum, nobis eſt amplius honorandus. Prouidendum quoque diligentiùs eſt & cauendum, ne quietem ſanctam

ctam improbitas alicuius valeat conturbare.]

6. Cæleſtinus III. ſcribens ad eoſdem [Paci & tranquillitati veſtræ tantò propenſiùs prouidere volentes, quantò arctiùs diuinis eſtis obſequiis mancipati, in contemplationis arce procul à terrenorum tumultu ſemoti; piæ poſtulationi veſtræ faciliùs annuimus, & fauorem Apoſtolicum libentiùs impertimur. Inde eſt, quòd, vt inſtituta veſtri Ordinis perpetuam habeant firmitatem, provt approbata ſunt, & à benè vtentibus obſeruata, rata inpoſterum fore decernimus, & auctoritate qua fungimur, obſeruamus.]

7. Honorius III. [Cùm dilecti filij fratres Cartuſienſis Ordinis, acceptis pennis columbæ, in ara cordis mactatis carnalibus deſideriis, in mentis fortitudinem euolarint, illicque pro ſuis gemant, & aliorum peccatis, holocauſtùm offerentes Domino ſemetipſos, ne pedes quos lauerant cogantur iterum inquinare, &c.]

8. Alexander IV. alloquens Cartuſianos, [Cæleſtis amor patriæ, mentes veſtras ſic allexiſſe perſpicitur, vt quaſi hoc ſolùm delectationem vobis tribuat, quòd diuinæ voluntati ſit placitum, & ſalutem proferat animarum.] Idem aliàs ad eoſdem [Amictus lumine ſicut veſtimento Dei Filius Dominus Ieſus Chriſtus, ſuam ſacroſanctam Eccleſiam quaſi tot videtur illuſtraſſe luminibus, quot in ea conſtituit

ſtituit gradus & Ordines, virtutum inſigniis & cultus diuini ſtudio refulgentes. Inter perſonas ſiquidem alias, quas in laudem ſui nominis virtus Altiſſimi ab antiquis temporibus vſque nunc aſſumpſiſſe dignoſcitur, illi quaſi videntur fuiſſe præcipui, qui veſtri Ordinis ſanctitatem ſunt profeſſi. Vigiles etenim & ſolliciti ad hoc ipſi ſtuduerunt aſſiduè inueniri, quòd, vt Sponſus cæleſtis in eorum conſcientiis haberet lectum floridum, & Chriſtiana religio de ipſorum conuerſatione Angelica, ſumeret ſanctitatis exemplum, ſede Apoſtolica de hoc multitudine ſpiritualis lætitiæ ſæpè ſæpiùs congaudente: ita quòd ſeipſam in eis tanquam in odore agri pleni cui benedixerit Deus, ſine intermiſſione delectans, eos inter alios Eccleſiæ filios perpetuæ dilectionis amplexibus, & gratioſi fauoris affluentia confouebat: Multis nihilominus de diuerſitate fidelium vacantibus ad hoc, quòd circa religionem tam famoſam & celebrem ſinceriſſimæ dilectionis effunderet largitatem. Ecce, chariſſimi, nobis in Domino manifeſtè per iſta conſtitit, quòd Ordo veſter Deo & hominibus olim chariſſimus habeatur.] Idem Alexander IV. ad eoſdem Cartuſianos. [Theſauro virtutum, ſic præclara veſtra religio ſuum ſemper aſtrinxit affectum, quod habetur & in conſpectu æterni Regis placita, & in oculis hominum gratioſa. Ipſa quidem religio veſtra, vt columba mitis & humilis, & electa

Domini

Domini & ſpecialis, pulchra per totum aſpicitur, omnem à ſe rugam enormitatis abiiciens, & maculam deformitatis excludens, vigilantibus illis, qui paternæ ſollicitudinis in ea gerunt officium, quod ibidem nullæ poſſint vitiorum ſpinæ ſuccreſcere; ipſa florum honoris & fructuum honeſtatis immarceſſibili polleat vbertate. Propter hunc etenim ſanctæ operationis effectum, nunquam Ordo veſter, officio alienæ viſitationis vel correctionis indiguit: ſed de ipſo aliquibus aliis reformationis beneficium, ex prouidentia ſedis Apoſtolicæ, iam prouenit. Cùm itaque vos qui ex huiuſmodi virtuoſis actibus, ſpiritu in Domino exultamus, claris agnoſcamus indiciis, dictum Ordinem eſſe aliis rectæ vitæ ſpeculum, & ſalutiferæ conuerſationis exemplum, &c.]

Clemens IV. vt fuit in Cartuſiam optimè affectus, quippè qui patrem ſuum Petrum Frecoldum, ſancto fine in ea quieuiſſe meminiſſet, ita huius Ordinis nunquam ſatiari præconiis eſt viſus, adeò frequenter & ſtudiosè illum celebrat. Profero ſpecimina nonnulla. Scribens ad Cartuſienſes, ſic habet. [Religionis veſtræ meretur honeſtas, vt vos ſpeciali diligentes in Domino charitate, proſequamur gratia ſedis Apoſtolicæ & fauore.] Rurſus alibi. [Piam affectionem veſtram qua Regi cæleſti ſuper omnia placere, ac in ſynceritate cordium deſeruire quæritis, charitatiua dilectione complectimur.]

plectimur. Idem [Cùm dilectos filios, Priores & fratres Cartusiensis Ordinis, merito suæ religionis charos habeamus plurimùm & acceptos, mandatum quod pro eis facimus, tantò volumus efficaciùs adimpleri, quantò grauiùs Creatorem nostrum offendunt, qui eos occasione aliqua persequuntur.] Rursus idem Clemens [Speciali gratia & fauore vos illa de causa dignos potissimè reputamus; quia toto cordis affectu ad hoc semper intenditis, vt per sanctæ conuersationis & vitæ studium in conspectu Dei & hominum placeatis.] Prætereà idem Clemens, multa præclarè præfatus de venustate Ecclesiæ ex sacrorum cœtuum varietate, subdit. [Ad hanc sanè pulchritudinem mirabilem, qua splendet & splenduit quasi quadam varietate circundata pia mater, retroactis temporibus; adiecit plurimùm Ordo vester, à suis fundatoribus viris spiritualibus, & tanquam adeps à carne penitùs separatis, magno pariter & exacto consilio circuncisus; qui ab hominum segregati consortiis, & ad vitæ subsidia necessaria, satis paucis contenti, aquilarum more nidum suum in arduis posuerunt, in præruptis silicibus & inaccessis rupibus habitantes, deliciarum hortum, squallentis eremi solitudinem arbitrati: vbi lectionibus, orationibus, & contemplationi vacantes, solicitudine Marthæ seposita, subsederunt ad pedes Domini cum Maria.] Huius Pontificis mellitissimam epistolam

ad S.Ludouicum Francorum Regem in Cartusianorum commendationem & laudem, exhibet Robertus appendice 1. ad Galliam Christianam, in syllabo Generalium Cartusianorum.

9. Ioannes XXII. alloquens Cartusianos. [Actus vestros in Regis æterni beneplacito dirigentes, exercitio virtutum cultui religionis intenditis, & per deuotarum orationum instantiam, salutem quæritis animarum, sicque propitiationem cælestis gratiæ promerentes, ad æternæ beatitudinis brauium tenditis tanquam benedictionis filiis repromissum. Propter quod dignè meruistis Apostolicis attolli fauoribus; & illius prærogatiua gratiæ communiri, per quam vobis commoda quietis accrescant, vestræque religionis status, ad laudem diuini nominis augeatur.]

10. Idem in diplomate concesso Calendis Decembris 1318. de erectione Cartusiæ Boni-passus, ad extremos Canares. [Exultat in vobis (Cartusianis) mater Ecclesia quòd vos spiritu beatæ considerationis inducti, supra fundamentum illud quod positum est, quod est Christus IESVS, vt vobis non manu facta domus, sed æterna præparetur in cælis, superædificamini tanquam lapides viui, spirituales domos per lucra sanctorum operum, alta & solida fabrica, stabilitas, ei cui nunquam sine remuneratione seruitur, phialas odoramentorum plenas, vt Christi bonus odor sitis, Deo per

per ſedulam deuotarum orationum inſtantiam offerendo: ſicque deſiderij paſſiones, fulti diuinæ protectionis auxilio, per obſeruantiam diſtrictionis arctæ reprimitis, quòd virtuosè de ſæculi fatigationibus triũphatis; illius præmij recepturi mercedem, quam operariis in Euangelio Dominus pollicetur, quos ad laborem vineæ vocationis ſuæ muneribus inuitauit. Propterea vos & Ordinem ipſum, ſyncera diligentes in Domino charitate continua reddimur attentione ſolliciti, vt ſtatus eius ex noſtra promotione concreſcat, ſuique palmites ad Diuini nominis laudem & gloriam, latiùs extendantur.]

11. Clemens VI. [Ad fructus vberes quos Cartuſienſis Ordo in agro militantis Eccleſiæ plantatus dextera Domini, velut arbor bona, produxit hactenus, & producit, conſiderationis noſtræ oculos extendentes, & attendentes, quòd dicti Ordinis profeſſores, mundo mortui, ſoli Chriſto qui eſt vita, viuentes, pro vniuerſali fidelium ſalute, inceſſanter ad Dominum preces fundunt; dignum ducimus, vt illa eos proſequamur prærogatiua fauoris, per quam eis ſubmoueamus ſcandala, & quietem etiam procuremus.] Idem Clemens alloquens Cartuſianos. [Præinſignis Ordinis veſtri ſacra religio, in agro Dominico diuina diſpenſatione plantata, ex ſuæ inſtitutionis exordio, per inſignium meritorum gratiam, & exemplaris

vitæ

vitæ doctrinam, vberes hactenus in vniuersa Ecclesia honestatis & salutis fructus, protulit & producit.]

12. Innocentius VI. fundator domus Vallis Benedictionis Villæ nouæ iuxta Auenionem. [Inter cunctos Religionis monasticæ professores, quibus veluti rutilantibus margaritis militans coruscat Ecclesia, vestri Cartusiensis Ordinis candidi Nazaræi, splendore illustrant eximio Ecclesiam memoratam. Vitæ siquidem munditia nitidi, feruore charitatis igniti, rigore abstinentiæ pallidi, & austeritate pœnitentiæ macerati, mundo mortui, Christo viuunt. Hi Marthæ circa frequens ministerium satagentis, quo turbabatur erga plurima, sollicitudinem fugientes; per contemplationis altitudinem sedent ad pedes Domini cum Maria. Hi amicam mœroribus solitudinem eligentes, per compunctionis lacrymas, & pro suorum aliorumque fidelium remissione peccaminum, incessabiles fundunt preces. Dignè igitur Ordinem hunc Apostolico fauore prosequimur.]

13. Bonifacius IX. [Sacrosancta Romana Ecclesia, mater cunctorum fidelium & magistra in agro virtutum vestri Ordinis, cui Altissimus benedixit, & in decore sanctæ religionis, sub qua mundanis abiectis illecebris deuotum ac sedulum exhibetis in Domino famulatum, exultat & iubilat, præsertim dum prospicit ad alta

virtutum, gradibus per exercitationem bonorum operum, & præclara sanctitatis merita procedentes, trahitis ad diuinum obsequium alios per exempla, vitam ducendo piissimam, & frequenter diuinis laudibus, ex quibus diuinæ gloria maiestatis extollitur, deuotissimè insistendo, & huic mundo mortui, ac Domino nostro Iesu Christo, qui est vita, viuentes; pro vniuersali salute fidelium ad Dominum preces funditis incessanter. Propter quod vestrum eundem Ordinem, quem erga nos, & prædictam Ecclesiam deuotionis claritate perlucere conspicimus, infra claustra nostri pectoris, paternis affectibus contemplantes, circa bonum statum ipsius Ordinis, feruentibus studiis vigilamus.]

14. Martinus V. eximens Cartusianos à solutione decimarum & primitiarum.[Fons paruulus qui creuit in fluuium, & in lucem solemque conuersus, in aquas plurimas redundauit, Cartusiensium est Ordo prælucidus, quia in sui ortus exordio, paruus & humilis, abiectione habitus, tenuitatis substantia, humilitatis professione ac numero professorum, sub fontis similitudine nō indignè describitur, cui diuersarum ille proprietatum conformitate respondens, non immeritò comparatur. Hic enim fons est hortorum irriguus, cæteras irrigans religiones & Ordines, ac exemplis salubribus scaturitans. Hic est fons amœnus varietate

rietate virtutum, præclarus munditiæ puritate, pietate patens, indeficiens ſanctitate. Horum copia meritorum illuſtratus, ita nomen fontis ampliauit, vt fluuius eſſe cenſeatur: Cuius profeſſio laudabilis, de virtute in virtutem progrediens, vt Deum Deorum in Sion videat, vniuerſalis Eccleſiæ lætificat ciuitatem; in qua per meritorũ euidentiã, claræ lucis ſplendorem adeptus, quaſi ſtella matutina refulget in medio nebulæ mundi huius. Huius ſiquidem Ordinis ſacra religio, à ſuæ inſtitutionis auſpiciis quaſi deſerta & inuia, paucis adhuc initiata cultoribus, tandem honoris & honeſtatis fructus parturiens, ramos ſuos, ramos quidem honoris, & gratiæ generationes germinans, religionis ſynceritatem, & auſteram vitæ continentiam ampliauit. Eapropter exultat iam in multitudine immenſa ſpectabilis, quæ olim in ſolitudine dilatebat.]

15. Gregorius XV. in diplomate dato anno 1621. reſpondens gratulatoriis litteris R. Patris Brunonis Daffringues, ſic ad eum ſcribit. [Conſimilem planè lætitiam nobis gratulatione tua peperiſti, ei quam nouus perciperet Imperator; ſi autoritatem ſuam intelligeret fortiſſimarum legionum votum fuiſſe, & totius reipublicæ commodum exiſtimari. Vos autem qui ſub S.Brunonis vexillo in iſtis Chriſtianæ pœnitentiæ caſtris, ſtipendia facitis, inuicti exercitus eſtis, quibus Apoſtolici im-

perij salus commendata, præclaras semper de inferis perduellibus victorias reportauit.]

16. Vrbanus VIII. in rescripto dato anno 1630. [Cùm Angelorum oculos ad cælestium virtutum spectaculum euocet pietas, quæ popularis plausus ludibrium aspernata, in taciturnis Cartusianæ humilitatis claustris delitescit, conuertit in se etiam curas Pontificiæ Charitatis, non raró colligentis è cellariis vestris mel Christianæ consolationis.]

17. Video tandem aliquando finem alicubi faciendum esse, proferendi Pontificia oracula, in Cartusiæ celebrationem: nisi si triginta Romanorum Pontificum varia diplomata, quibus hunc cœtum variis priuilegiis muniuerunt, non absque insignibus encomiis, hîc adscripta velim ex tabulario maioris Cartusiæ; vnde Pontificum nomina retulit Theodorus Petreïus [a]. Multa item in hanc rem corrogauit Choppinus [b]. Esto Igitur finis proferendi flosculos laudum cœtus Cartusiensis, decerptos ex areolis Pontificiis. Hæc tamen pauca quæ protuli satis superque esse possunt, vt agnoscamus verè Albertum Austriæ ac Styriæ Ducem, eo diplomate quo Cartusiam Gemnicensem firmabat anno 1357. his verbis vsum. [Sanctum Cartusiensem Ordinem à sede Apostolica inter cæteros Ordines specialiter priuilegiatum ac multipliciter commendatum, tanquam singularem & pretiosam margaritam, in toto Thesau

[a] *ad l. 1. Chronici Dorlãdi. §. 12.*
[b] *lib. 2. Monast. tit. 1. n. 40.*

Theſauro ſanctæ matris Eccleſiæ, reperimus.]

Nemo tamen iure faſtidiat, nonnullam hîc remoram à me interponi, præ iuſta concitatione. Siſte namque Lector candide, & mecum demirare, ſiue ſupinitatem & oſcitantiam in pronunciando de aliis, ſiue attritam frontem præ malignitate. Audiſti quot Pontifices Cartuſienſe inſtitutum exornauerunt, & priuilegiis ampliſſimis communiuerunt. Quis crederet, futuros qui effutirent Ordinem Cartuſienſem non eſſe à ſede Apoſtolica approbatum, ita vt opus fuerit Bonifacio Ferrerio S. Vincentij germano, Lucubratione quadam Gerſoni [a] falsò adſcripta, eam inſulſitatem depellere? At vides quàm Pontificia approbatio non deficiat Cartuſianum inſtitutum. Quin eiam, in omnibus aliis inſtitutis comprobatum videri debet, cùm iure antiquo Pontificio, ab omnibus Ordinibus ad Cartuſianum pateret aditus, vt videre eſt *in extrau. commun. de Regul. & tranſeunt. cap. viam ambitioſæ:* quamuis non vice verſa, vt confirmat Suares [b]. Itaque non eſt neceſſaria ſextuplex illa confirmatio quam in hanc rem producit Petrus Sutoris [c], cùm Pontificiis comprobationibus, quæ quartum locum in ea ſerie occupant, abundemus. Verùm hæc obiter. Pergamus in inſcriptione columnæ S. Brunonis, per inſignium virorum honorifica iudicia.

[a] 2. p. operum.

[b] *tr. 9. de relig. l. 2. c. 4. n. 8.*

[c] *lib. 2. de vita Cartuſ. tr. 3 c. 2.*

18. S. Bernardus vitæ religiosæ speculum intentissimum, quo loco Cartusiam haberet, ostendit Goffridus Abbas [a], describens aditam ab eo deuotionis ergò Cartusiã, & dulces cum Guigone Priore piorum sermonum cibos. Ad quem etiam eiusdem secum Spiritus virum, ac verè hominem Dei, extat Epistola numero vndecima, qua S. Bernardus excusans tardiusculam scriptionem ad eam sacram familiam, sic habet. [Verebar nimirum sanctam quam in Domino habetis, importunis scriptitationibus infestare quietem: iuge illud vestrum, sacrumque silentium à sæculo, susurrium cum Deo vel ad modicum interrumpere, nostraque ingerere auribus secretis, penitus occupatis supernis elogiis. Timebam omnino molestus fieri vel Moysi in monte, vel Eliæ in deserto, aut certè excubanti in templo Samuëli, si diuinis intentissimos confabulationibus, aliquatenus auocare tentassem. Clamat Samuel, *loquere Domine, quia audit seruus tuus*, & ego me audiri præsumerem? Timebam, inquam, ne si & Dauid elonganti se, & fugienti, manentique in solitudine, importunus insisterem, indignãs excusaret, & diceret, sine me, non audio te modò, audiam potiùs quod dulciùs ausculto. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus quoniam loquetur pacem in plebem suam; & super sanctos suos, & in eos qui conuertuntur ad cor.* Aut certè illud *Declinate à me maligni, & scrutabor*

[a] l. 1. continuationis vitæ sãcti viri c. 1.

ſcrutabor mandata Dei mei. Quid enim? Egóne tam temerarius eſſem, vt inter ſponſi brachia ſuauiter quieſcentem, auderem ſuſcitare dilectam, quouſque vellet ipſa? Putarem illicò auditurum me ab illa, Noli mihi moleſtus eſſe; Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.] Rurſus epiſtol. 12. apprecans ſibi preces & commiſerationem Cartuſianorum; [Miſeremini (inquit) mei, non quia merui, ſed quia egeo. Miſeremini tanquam miſericordiam conſecuti à Domino, vt ſine timore, à mund itumultibus liberati; ſeruiatis ei: Felices, quos abſcondit in tabernaculo ſuo in die malorum, in vmbra alarum ſuarum, ſperantes donec tranſeat iniquitas.]

19. Gulielmus S. Theodorici Abbas, S. Bernardo coniunctiſſimus, Epiſtola ad fratres Cartuſiæ de monte Dei, perperàm S. Bernardo adſcripta, ſic eos compellat, ipſo initio. [Frarribus de monte Dei, Orientale lumen, & antiquum illum in Religione Ægyptium feruorem, tenebris Occiduis, & Gallicanis frigoribus inferentibus; vitæ ſcilicet ſolitariæ exemplar, & Cæleſtis formam conuerſationis. Occurre & concurre in gaudio S. Spiritus anima mea, & riſu cordis, in feruore pietatis, & in omni obſequio deuotæ voluntatis. Quidni etenim epulari & gaudere in Domino oportet, quia Chriſtianæ deuotionis ac religionis ſpecioſiſſima portio, quæ cælos propinquius tan-

gere videbatur mortua erat & reuixit, perierat è mundo, & inuenta est? Auditu auris audieramus, nec credebamus, legebamus in libris & mirabamur, de antiqua vitæ solitariæ gloria, & magna in ea gratia Dei, cùm subito inuenimus eam in campis syluæ, in monte Dei, in monte pingui; vbi iam pinguescunt speciosa deserti, & exultatione colles accinguntur. Ibi enim etiam per vos offert se omnibus, & in vobis se demonstrat, & ignota hactenus, innotescit. In paucis simplicibus, totum olim sibi mundum subiecit, ipso mundo mirante: licèt enim magna & diuina planè fuerint miracula quæ Dominus gessit in terris, hoc tamen vnum super omnia alia enituit, & cætera cuncta illustrauit; quòd in paucis simplicibus totum mundum, & omnem sapientiæ eius altitudinem sibi subiugauit. Quod etiam nunc cœpit operari in vobis. Ita Pater, ita quoniam sic beneplacitum est ante te.]

Nec ita multò pòst. [Vestra namque simplicitas, iam multos prouocat ad æmulationem: Vestra sufficientissima & altissima paupertas, iam multorum confundit cupiditatem; Vestrum secretum, iam earum rerum quæ tumultum faciunt, vel facere videntur, pluribus incutit horrorem.]

Rursus infrà. [Altissima est professio vestra, cælos transit, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Non enim vouistis omnẽ sanctitatẽ, sed

ſed omnis ſanctitatis profeſſionem, & omnis conſummationis finem. Non eſt veſtrum circa communia præcepta languere: neque hoc solùm attendere quid præcipiat Deus, ſed quid velit; probantes quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum eſt enim Deo ſeruire, veſtrûm adhærere. Aliorum eſt Deum credere, ſcire, amare, reuereri: veſtrum eſt ſapere, intelligere, cognoſcere, frui. Magnum eſt hoc, arduum eſt hoc; ſed omnipotens & bonus eſt Deus, qui in vobis eſt pius promiſſor, fidelis redditor, & indefeſſus adiutor, qui magno eius amore magna profitentibus, & in fide, & ſpe gratiæ eius, maiora viribus ſuis aggredientibus, & voluntatem & deſiderium ſuggerit in idipſum; & qui voluntatis gratiam prærogauit, ſubrogabit etiam virtutem ad prouentum.] Alia pleraque in hanc ſententiam, tota epiſtola occurrunt.

20. Petrus Cluniacenſis, & ipſe S. Bernardo amiciſſimus, epiſt. ad Eugenium Papam, ſic habet.] Cartuſienſis Ordinis & propoſiti inſtituta, quantum dilexerim, quantũ diligam, quantum veneratus ſim, quantũ amplectar, nouerunt multi; Ego verò magis; Deus autem maximè. Nam ſi mens mea me non fallit, ſi conſcientia mea mihi quod verũ eſt atteſtatur, ſi tandẽ vera eſt ſententia diuina quæ dicit, *nemo nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt*; agnoſco me Cartuſienſiũ iam à triginta ferè an-

nis; (hoc est etiam antequam præesse inciperem,) præ cunctis penè mortalibus amasse religionem, coluisse synceritatem, amplexum esse veritatem. Intellexi, nec me falli putaui, cunctorum Latinorum institutis, eorum propositum præferendum, nec esse eos de illis qui liquant culicem, & camelum glutiunt: hoc est, qui irritum faciunt mandatum Dei; propter traditiones hominum; & decimantes mentham, & anetum, & cyminum, & iuxta Lucam Euangelistam, omne olus, dimittunt quæ sunt grauiora legis, iudicium & misericordiam & fidem. Non enim præcipuè in cibis, in potibus, in vestibus, in laboribus, vel similibus, regnum Dei consistere putant; licèt hæc discretiuè facta, multùm eidem regno Dei militent: Sed in pietate illa, de qua ait Apostolus, *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas ad omnia vtilis, promissionem habens vitæ, quæ nunc est pariter & futuræ*, Epulantur verè sancti illi in mensa sapientiæ, deliciantur in ferculo veri Salomonis, non in superstitionibus, non in hypocrisi, non in vanitatibus, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. Magni ergo sunt, amandi sunt, amplectendi sunt.]

2. Eiusdem libri epistola 25. quæ est ad Cartusianos Maiorem; [Semper supremam arcem pectoris mei vobis vestrique Ordinis viris seruaui: instituta Cartusiensia vniuersarum religionum

ligionum inſtitutionibus prætuli; à primis penè adoleſcentiæ annis ſyncero affectu ſacrum religionis veſtræ propoſitum colui: Vnde quando vacare potuit, quædam antiquiora veſtri Ordinis loca adire frequenter non pigritaui: inacceſſibiles penè niuibus, & à glacie altiſſimas rupes non abhorrui: fratres inter illas rupium & montium anguſtias omnipotenti Domino ſeruientes, videre, viſitare, atque cum eis in DOMINO iucundari, dulce habui. Hunc saporẽ quo cùm adhuc teſta rudis eſſem, imbutus ſum, diu & per gratiam Dei, etiam hucvſque ſeruaui, non quidem vos videndo, quod vt volui, hactenus nõ potui: ſed vos, veſtráque omnia, charitate non ficta, diligẽdo, colendo, venerando.]

22. Mellitiſſimè alibi [a] Cartuſianos appellat *collegium cæleſte & numerum Apoſtolicum.* Epiſtola ad Guigonem dirigitur; eſtque conſolatio in morte fratrum. Quod Cartuſianos vocat *Apoſtolicum numerum*, referendum eſt ad numerum duodenarium, quo omnes Monachi Cartuſiam inhabitantes comprehendebantur, quibus addito vno Priore, exiſtebat numerus à Guiberto Nouigentano Abbate ſignatus in libro de vita ſua, cùm deſcribens Cartuſiam, ait, tredecim tantùm fuiſſe qui eam incolebant. Is porrò fuit numerus Collegij Apoſtolici, iuncto Chriſto capite. Eò ergo ſpectauit Petrus Cluniacenſis, vocans numerum Cartuſienſium, Apoſtolicum. Eo ipſo tamen inſignem huius

[a] *l. 4. ep. XI.*

cœtus,

cœtus, perfectionem insinuauit, qui sicut numero, ita sanctis institutis ac virtutibus Apostolico collegio responderet: etiamsi tunc horrenda clade is numerus imminutus est, obtritis mole niuium subitò delapsarum è vicino monte, monachis sex, & vno nouitio. Occasione cuius calamitatis, Petrus, Guigonem Priorem & superstites Cartusiæ fratres consolans, multa in eorum laudem profundit, ita vt in Epistolæ inscriptione vocet *Beatissimos, & singulariter honorandos, ac nominandos, Dominos & Patres.* Denique l. 2. mirac.[a] de Instituto Cartusianorum, tam splendidè, tamque magnificè agit, vt nihil addi posse videatur. Sed encomium longius est, quàm vt hoc loco legi debeat.

[a] *cap. 28.*

23. Petrus Blesensis Episto. 86. quæ est ad Alexandrum Cartusianum vacillantem. [Cur sanctum & gloriosæ opinionis Ordinem Cartusiensem præuaricando deprauas? Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? sanè inueneras locum pœnitentię, secretum solitudinis, pacem animæ, contemplationis arcanum: gaudium in Spiritu sancto, munus salutis, & efficax beneficium medicinæ. Verùm manna cæleste fastidiens, & suspirans ad ollas carnium, domum illam appetis, quæ desiderio tuo satisfaciet, quæ tibi delicatiùs & indulgentiùs ministrabit. Ideoque tumultum frequentiæ popularis silentio; & solitudini anteponis

teponis solitudinem, licèt noueris scriptum esse, quia qui iugum Domini accipit, sedere debet solitarius & tacere.] Et inferiùs [Si attendas Domum Cartusiensem quam relinquere desideras, consideres vnde venias, aut quò vadas. Hierusalem pro Babylone, terram promissionis pro Ægypto, pro exilio patriam, cælum pro inferno, quietem & pacem pro labore & miseria derelinquis. Domus siquidem Cartusiensis, & locus habitationis illius, situs est in montibus & scopulis & in petris, vt sit potiùs habitatio Angelorum, quàm hominum ad dandam Artissimo vocem confessionis & laudis, sicut scriptum est, *super ea volucres cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.* Sed & columba nidificat in foraminibus petræ, & vir prudens ædificat domum suam supra petram; vbi nec maris fluctus, nec ventus turbinis, nec pluuiarum inundatio, nec alluuio formidatur. Verè terribilis est locus iste, nec est hîc aliud nisi domus Dei & porta cæli. Et licèt domus illa sit in terra horroris & vastæ solitudinis, nominatissima tamen est in obseruantia Religionis & Ordinis. In omnem terram, per gratiam Dei exiuit fama eius, & in fines orbis terræ, suæ odorem suauitatis effudit. Plantatio enim Dei est, & vinea Domini Sabaoth; ideoque iam excreuit in immensum, & multiplices fructus fecit. Vide si iam non operuit montes vmbra eius, si non extendit palmites

suos

ſuos vſque ad mare.] Rurſus infrà. [Ad exempla domus illius de qua ſcriptum eſt, *In Domo Patris mei manſiones multæ ſunt*; Habet hîc vnuſquiſque cellulam & manſiunculam ſuam, vt contemplationi & orationi liberiùs vacet. Sic enim in ſchola Euangelica veritas nos informat, dicens, *Tu autem cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum.* Solitudinem huius cellulæ Propheta elegerat, qui, ſicut ipſe cõmemorat, ſimilis factus eſt pelicano ſolitudinis, & ſicut paſſer ſolitarius in tecto. *Elongaui* (inquit) *fugiens & manſi in ſolitudine.* Qui Rachelis amplexus & delicias contemplationis affectat, iuxta verbum Iob, contemnit multitudinem ciuitatis, & vocem exactoris non audit. Vnde & Ieremias. *Quis dabit me in ſolitudinem, aut in diuerſorium viatorum?*]

[a] *l. 7. polycrat. c. 11.* [b] *c. 23.*

24. Ioannes Sariſberienſis [a], vocat Cartuſienſes, auáritiæ triumphatores præcipuos, vbique clareſcentes, Et inferiùs [b]. [Hypocritarum nomen & notam, cautiſſimè & fideliſſimè declinant Cartuſienſes, ſiquidem cupiditati ſuæ, imò neceſſitatis limites præfixerunt; & moderationis habenis omnem auaritiam cohibent, & interdum ipſi neceſſitati aliquid ſubtrahunt; ne ſub obtentu illius, quippiam auaritia moliatur. Magni proculdubio viri, & inter præcipuos numerandi, cùm non modò profeſſiones, ſed iam ſeneſcente mundo,

in tanta multitudine labentium sæculorum pauci processerunt homines, qui satietatis sibi aliquos præscripserint terminos.] Addit plura in eandem sententiam reliquo capite, fassus se non æquasse eorum merita.

25. Petrus Cellensis episto. 23. quæ est ad Eskilum, Lundensem in Dania Archiepiscopũ, qui Cistercienses & Præmonstratenses iam induxerat in eam prouinciam, & Cartusianos expetebat. [Quia igitur gustauit & vidit prudentia vestra, quòd bona sit negotiatio ista, ad vlteriora manum porrexistis, & de illo Ordine, qui quasi Cherubin siue Seraphim immediatè residẽti Agno qui habet oculos septem, & cornua septem, in throno gratiæ accedunt, gazas vestras exornare voluistis. Ecce factum est vt imperastis. Acquieuit sanctus Cartusiensium Fratrum conuentus iustis petitionibus vestris.] Et epistola 40. quæ est ad Cartusianos de monte Dei. [Gustaui & vidi quia bona est negotiatio vestra. Nequaquam manus vestræ in cophinis seruiunt, nequaquam ciuitates Ægypti in luto & latere construunt, sed quæque pretiosa & speciosa requirunt: sed fusum & colum ad nendum siue contexendum rationale & superhumerale, & cætera summi Pontificis insignia ornamenta apprehendunt. Hinc est quòd non de stupis Synagogæ peccatorum, grossiora vestimenta animæ vestræ delicatæ apponitis, neque contra legem, ex lana linoque, vestimen-

to induimini; ſed abdicantes occulta dedecoris, faciem lauatis, caput vngitis, & de velleribus ouium veſtrarum, venientes ab Aquilone calefacitis; cùm etiam de confeſſione veſtræ integerrimæ ſimplicitatis, exempla ſumuntur ſanctæ religionis. Sic eſt, dilectiſſimi, ſic eſt, accedit homo ad cor altum & exaltabitur Deus. Annon in luna cùm lumini ſolis appropinquat, ſic euenit, vt eò à ſuo fulgore videatur deficere, quò fuerit effecta vicinior? Cæci domus non ideò pulchra, quia deformitatem eius non videt: non ideò ſana, quia vbi ventrem faciat non conſiderat. Cani iuxta Prophetam in Ephraim effuſi ſunt, & ipſe ignorauit. Doletis fœtorem Lazari; truncum iam emortuum miramini reuiuiſcere, muros Hiericho non patimini conſurgere: facitis namque quod ait Nahum Propheta *Aquam propter obſidionem hauri tibi; intra in lutum, & calca, & ſubigens tene laterem.* Intelligitis obſidionem Principis huius mundi, aqua de ciſternis, ſicut nec de cellis deficit. Lutum carnis, vt fortiùs prematis & validiùs calcetis, intratis; ſi ſubigendo tenere laterem memineritis.]

26. Laurentius Leodicenſis qui anno 1190 florebat, deſcribens hiſtoriam Epiſcoporum Virdunenſium, ſic habet. [Cartuſienſis religio mundo hactenus inaudita, de ſanctiſſima ſchola Reuerendiſſimi Brunonis proceſſit, quæ in carne extra carnem inſolito mortalibus more viuendo,

viuendo, Angelos in terra, Ioannem Baptistam, & Paulum Eremitam, in deserto, nobis hodie repræsentat; vt meritò hanc religionem, *florem mundi* nomines; vt hanc esse animal simile aquilæ in cælum volanti iure pronunties.]

Iacobus de Vitriaco, Cardinalis & doctus & pius [Cartusianæ religionis rigor districtionis, & districtio rigoris, tanquam fornax Spiritus sancti aurum purgans, & scoriam ex argento separans, falsos fratres diu retinere non potest. Vnde cella comparatur mari, quod morticinum quantocyùs poterit, proiicit.]

27. Nicolaus Suessionensis in Actis S. Godefridi Ambianensis [a]. [Perpendens vir prudens Godefridus, quàm molestum atque adeò intolerabile sit, tot sæcularium tumultuum perferre tempestates, vbi comperit præclaram seruorum Dei famam, qui in Cartusia non longè à Gratianopoli degebant, relictis omnibus, illo igne quem Dominus IESVS misit in terram suauiter ardens, eò celeriter profectus est: vt quietiùs vni Deo vacaret. Præerat tunc Cartusiæ Guigo, vir egregiè doctus & vitæ integritate conspicuus, omnium ore prædicandus. Is vt vidit vultus Angelici & simplicis naturæ virum, gratias immensas agit Christo; statimque illum sanctissimo fratrum Collegio adiunxisset ni veritus esset Romanum Pontificem; Rhemorum Archiepiscopum aliosque Galliarum Præsules, minimè passuros, vt illic

[a] *l. 3. c. 8.*

permaneret. Interim tamen cellulam ei attribuit. Separatim enim degunt ſinguli in Domiciliis quæ *cellas* vocant. Ad Eccleſiam certis horis pariter conueniunt: inde taciti redeunt ad cellas ſuas. Ad nudam carnem aſperis induuntur ciliciis. Quarta & ſexta feriis, pane & aqua victitant. Diuinæ contemplationi adeò adhærent, vt iure poſſent dicere cum Apoſtolo, *noſtra conuerſatio in cælis eſt*, illorumque precibus & Sanctorum meritis, mundus conſtare videatur. Sed de eorum excellenti meritóque prædicanda ab omnibus conuerſatione, aliis plura dicenda relinquimus.] Et cap. 23. [Rurſus iuuat adire montes Cartuſiæ. Is enim locus, eius animo maximè ſedebat. Nam de quodam Cartuſiæ fratre præclarum quiddam & memorabile referre ſolebat, quod toto triennio nunquam quacumque preſſus neceſſitate manu verenda attingere voluerit, adeò caſtitatis fuit eximius cultor.]

Cardinalis S. Marci, Commiſſarius Apoſtolicus ſub annum 1270. in reſcripto pro Cartuſia Angionis, ſic loquitur [Immaculata Ordinis veſtri religio, quæ velut lucerna, non accenſa ſub modio, ſed in vertice montium tanquam ſuper candelabrum poſita, perlucidè radios claritatis oſtendit,] &c.

28. Vincentius Bellouacenſis [a]. Ordinem Cartuſienſem ait eſſe [puritate mentium, ac theoriæ ſtudio ſingularem.] Et præmiſerat c. 7. Monachi

[a] *lib. 17. ſpeculi hiſtorialis c. 8.*

Monachi Cartusienses paulatim pullulabant, qui præ cæteris continentes, peste auaritiæ quamplurimos sub religionis habitu laborare & anhelare videntes, terminos posuerunt; dum certum numerum hominum animaliumque, & possessionum quem eis prætergredi nullo modo liceat, statuerunt, & ipsi singulas singuli cellulas habentes, ac raró, vel ob Dei cultum, vel etiam ob mutuum in charitate solatium conuenientes, perfectiùs mori mundo, & cæteris, tantò diligentiùs, quantò secretiùs Deo viuere elegerunt.]

Franciscus Petrarcha præfatione ad Librum de otio Religiosorum, agens de suo in Cartusiam itinere, ad videndum germanum suum. [Veni ego in Paradisum; vidi Angelos Dei in terra, & in terrenis corporibus habitantes, suo tempore habitaturos in cælis, & ad Christum cui militant, exacto præsentis exilij labore venturos: qui nisi vos priusquàm formaret in vtero, nouisset, & sanctificasset, & prædestinasset, in numerum electorum, nequaquam hoc vobis rectum & compendiosum iter & à mundi deuio semotissimum, ostendisset. Sed ne quid hîc plenum sperem, sancto illi gaudio, quod ex vestra conuersatione percepi, sola breuitas aduersata est. Vix verendos vultus aspicere contigit: nunquam mihi breuior lux, nunquam velocior nox fuit. Dum religiosissimam illam eremum, templumque con-

templor, dum deuotum silentium, & Angelicam psalmodiam stupeo, dum vos hinc omnes, hinc singulos, mirè & humani more animi depositum opus, vos prædulce meum pignus amplector, hincque multùm exoptatis germani optimi atque vnici colloquiis acquiesco, non sentienti mihi, totum illud exiguum tempus effluxit, verba nectendi colligendique animum facultas defuit.] Initium loci huius Petrarchæ, expressum videtur à Nauarro, Commentario 3. de Regularibus, vbi vocat Cartusiam, *carcerem excludentem corporales voluptates, & paradisum omnium spiritualium deliciarum.*

Ioannes Gerso, perpetuus est in Cartusianorum præconiis. Flosculus ex tractatu eius de abstinentia à carnibus est fragrantissimus. [Apud Venerabiles Cartusienses, reperitur sicubi in Ecclesia quicquãvestigij reliquerit, prædicanda illa pristinorũ Patrum deuotio, admirabilis feruor & continentia incredibilis penè.]

29. Arnoldus Bostius Carmelita, encomiis illustriũ Cartusianorum, atque adeò etiã Cartusiensis Instituti, librum impleuit. Vernatissimè verò hunc cœtum celebrat in libri vestibulo, agens cum Hugone de Vercõdis, in Valle Gratiæ monacho Cartusiensi, & fructum suscepti abs se laboris exponens; [Sanè (inquit,) desinet ex nunc Ordinem tuum Cartusianum Paradisi vestibulum, cæli lumen, Deo Optimo Maximo, sed & bonis omnibus gratissimum, rusticæ

ſticæ tantùm ſimplicitatis arguere, cui videlicet ſuperficie tenus, præſens videre licebit opuſculum. Plantatio enim Dei eſt, quæ vt vinea Domini Sabaoth, iam excreuit in immenſum; & tam multiplices fructus fecit, vt iam nemo poſſit, qui non proficit, niſi negligentiam ſuam accuſare. Nec mirum, cùm probitas omnigena radicibus eius tã incocta ſit, vt per tam longa temporũ 400. & ampliùs annorũ ſpatia, nec per mala huiuſce vitę contagia eneruari potuerit. Hinc ſolus præ cæteris, *flos monaſtici germinis, decus atque ornamentum vitæ ſpiritualis, & ordo non lapſus*, peculiari quodam iure ac planè optimo compellatur.]

Thomas à Kempis, in vita Gerardi Magni [a]; [Eo præcipuè tempore mundi ſtatus in maligno videbatur vndique poſitus, ita vt pauci eſſent qui verbũ vitæ moribus ac vocibus prædicarent; pauciores verò qui continentiã ſectarentur; & quod dolendum erat, nomen ſanctæ religionis, & ſtatus deuotionis præ inopia ſpiritus, à Patrum præcedentium veſtigiis nimiùm claudicabat. Apud Cartuſienſes verò lux vitæ Cæleſtis remanſit occultò: & carnalibus videbatur ſatis auſtera. Erat tamen Deo gratiſſima, & ſpiritu feruentibus optabilis atque iucunda.] Sic ille de Cartuſianis, occaſione Prioris Cartuſienſis apud Arnemium Geldriæ, qui piis alloquiis Deo lucri fecerat Gerardum Magnum.

[a] *cap. 4.*

Aduocarem huc Nicolaum de Clamengis, Tract. de fructu eremi. Quæ enim ibi diffusè profert in ſolitudinis commendationem, cadunt nominatim in Cartuſiam, cuius diſertè meminit inter proponendum obices ſecedendi in ſolitudinem appoſitos molientibus captare quietem à turbine & tempeſtate. Exornat autem hic Scriptor ſolitudinis ſtudium, non inuenuſtè nec inualidè, æmulatus Eucherium, Petrum Damiani, & alios, qui in laudanda ſolitudine nauarunt operam. Nihilominùs quia Nicolai in ſcribendo mordacitas, vel etiam petulantia, quam alibi contra principes populorum, etiam ſpirituales adhibuit detraxit ſcriptis eius probabilibus autoritatem, (S. Hilarius de Tertulliano pronunciauit ;) non eſt quòd de furfuribus Scriptoris illius, cum probata farina commiſcendis, ſimus ſolliciti.

Recentiores Cartuſiani inſtituti laudatores, ſi eos velim ſubducere, noui calculi ac numeri excogitandi erunt. Itaque conſultò eos volo præteritos. Adeundi verò præ cæteris, ſi cui allubeſcat nouos quoque in hanc rem videre, Renatus Choppinus in Monaſtico [a]. Anneus Robertus [b]. Martinus Nauarrus [c] & Ioannes Maior [d].

[a] *l. 1. tit. 1. n. 6. & l. 2. tit. 1. n 40.*
[b] *l. 2. rerũ iudicat cap. 2.*
[c] *cõmẽt. de Regul.*
[d] *in 4. d. 38. & in cap. 39. Matth.*

30. Conſultò præteriui domeſtica teſtimonia, ne ſuſpicioni paterent. Eiuſmodi ſunt quæ extant apud Dionyſium Richelium lib. integro de præconio Ordinis ſui. Petrum Sutoris

Sutoris toto opere de vita Cartusiana, præsertim lib. 2. tract. 1. 2. 3. & lib. 1. tract. 4. à cap. 3. Ioannem Hagen de Indagine, libris duobus de perfectione & exercitiis Ord. Cartus. præsertim lib. 2. c. 18. 19. 20. Henricum Kalcariensem Tract. de ortu & progressu Ordinis Cartusiensis, Theodorum Petreïum in Bibliotheca Cartusiana, & notis ad Chronicum Dorlandi; Stephanum Salazarium, præfatione ad suum opus de Christi Genealogia, aliosque ex eadem familia complures, hos præterire placuit, tanquam domesticos. Tametsi non me latet, iudice Nazianzeno [a], ne domesticam quidem laudem in hoc genere, minoris fieri debere.

[a] *orat de Gorgonia, initio.*

PVNCTVM XII.

S. Brunonis gratia & gloria, ex præmissis coniectata.

TAmetsi spirituum ponderator est Dominus, nec quantus quisque Sanctorum reuera apud Deum sit, siue in via per gratiam, siue in cælo per gloriam, alterius iudicio quàm Dei ipsius statui potest; tamen non desunt coniecturæ, quibus de mensura gratiæ, & commensæ ei in cælo gloriæ, pronunciare aliquatenus liceat. Eas ego coniecturas, quoad S. Brunonem, ex antedictis hoc loco eruam, vt intelligatur quàm sublimis columnarius

fuerit in via S. Bruno; & quàm nunc in cælo emineat, factus Columna in templo Dei.

1. Admodùm eximiam fuisse sanctificantem S. Brunonis gratiam, atque adeò eum inter eximios Sanctos recenseri meritò posse, multa suadent. Imprimísque secretio & separatio à terræ fæcibus: quam separationem, typo columnæ mysticæ expressam dedimus. Luculenter planè Origenes [a] tractans mysterium pectusculi appositionis, & brachij separationis, eum gratiæ sanctificantis & separationis nexum attigit. Docet enim fieri *pectusculum appositionis*, cùm apponitur homini gratia Spiritus sancti: Hanc autem appositionem gratiæ non fieri absque *brachio separationis*, siue *demptionis*, quo auellitur à corde hominis, omne quod immundum est. Nam quod est inquinatum & immundum, iuxta idiotismum sacrum, *commune* atque adeò *non separatum* appellatur; iuxta illud quod S. Petrus de cælo audiuit, *quod Deus mundauit, tu commune ne dixeris.* [Consequenter ergo, concludit Origenes, si id quod immundum est; *commune* appellatur, quod sanctum est, nominabitur *separatum.*] Nimirum separatio ab inquinamentis ac fæculentiis, non potest nitore ac puritate destitui. Neque enim sola à peccatis liberatio hominem apud Deum nitere facit, sed interuenit quoque gratia & præsentia spiritus, vt pulchrè disserit S. Chrysostomus, tractans illud, *Sancta*

[a] *hom. 5. in Leuit. in fine.*

Sanctis, Ac proinde qui à terrenis, & à cœno ac limo inferiorum ſubuehitur, purus euadit ac cæleſti nitore per gratiam collato exornatur. Inſinuabat hoc thronus ex ſaphyro, ſuper cryſtallum, & ſuper thronum ſimilitudo ſedentis, cuius inferiora ignea, ſuperiora electrina ad demonſtrandum (iuxta Sanctum Hieronymum ad Fabiolã), quæ inferiora ſunt, egere igne ac purgatione, quæ verò ſurſum ſubuehuntur, commendari à puritate. Itaque ex S. Brunonis ſurſum ſubuectione meritò inferimus eius puritatem: & ex puritate ſanctimoniam, qua iam ex hac vita cælum homini conceditur ſemper nitens & imperturbatum, vt egregiè admonet Gerſo [a]. Neque hic eſt meteoriſmus à Chriſto vetitus, qui ad elationem per ſuperbiam pertinet, non ad euectionem ſurſum, per elongationem à terrenis, vt Turrianus [b] notauit.

2. Nectitur ſubuectio illa ſurſum, & ſeceſſio ab imis, cum neglectu & deſpectione caducorum. Nam quæ ſubtùs iacentia exhibentur, eo ipſo deſpici & contemni intelliguntur: idque præ ſe fert ipſa calcatio, qua quis extans rem ſubtus poſitam contumelioſè aut contemptim habet. Itaque qui ſurſum myſticè effertur, deſpuit inferiora. Ea autem eſt iuſtiſſima, & æquitatis pleniſſima diuinæ Cancellariæ regula, vt quantùm à terrenis & fluxis amorem abſtrahimus, tantùm Deo amore copulemur. Neque enim vetamur amare, ſed amorẽ malè col-

[a] *de conſol. theol. l. 3. metr. 2.*

[b] *ad cap. 94. S. Diadochi.*

locare: ac proinde iubemur amorem transferre in Deum, vt D. Augustinus admonuit. At hoc assequimur contemptione rerum fluxarum, cui Dei amor à creaturis auulsus, necessariò comitatur. Amor autem Dei, ferax est gratiæ Sanctificantis, & Spiritum sanctum amanti diuina, & caduca contemnenti conciliat; iuxta illud Isaiæ 42. *qui dat spiritum iis qui sunt super terram, & spiritum iis qui calcant eam.* Sic enim S. Augustinus[a] eum locum est interpretatus, non vno loco.

[a] *l. 1. de anima & eius orig. c. 14 & lib. . de Incarn. c. 17.*

3. Cùm igitur S. Bruno, terrena omnia tanquam subiecta & inferiora despexerit, elongans se ab eis, & manens in solitudine, non potuit non ditescere insigniter, vberi & ampla Diuinæ gratiæ participatione. Expressum id reperio satis concinnè ab Rheméſi S. Mariæ Metropoli, eo carmine quod in demortui S. Brunonis laudem panxit, vbi hæc præter cætera.

Vt seruire Ioseph Dominæ contempsit amori,
Et fugit amplexus incestos mente virili;
Sic contempta iacet tibi, Bruno, gloria mundi;
Amplecti dum te cuperet, tibi brachia tendens.
Multas mundus opes, multos obtendit honores.
Túque fuga lapsus, pompali veste reiecta,
Amplectens eremum, vestiris sorte beata.

En confert Brunonem & Iosephum, quoad principium diuitiarum ab vtroque comparatarum. Nam Ioseph apud Pharaonem inclaruit constitutus ab eo Dominus domus, & princeps

omnis possessionis eius, quia despuerat delata gaudia; nec caduca voluptate inescari se passus erat, secedendo promptissimè, ne fascinaretur illecebrosis sermonibus. Haud aliter Bruno, per contemptionem transeuntium bonorũ. quæ arridens fortuna vndecunque ostentabat, elongauit fugiens; eaque secessione, immensam vim diuitiarum cælestium, quæ gratia & virtutibus continentur, sibi comparauit.

4. Firmare id egregiè licet, ex sancto otio cui S. Bruno fuit addictissimus. *Sanctũ* dico *otium:* neque enim ignauiam & desidiam S. Brunoni affingo, quibus nihil est à sanctitate magis abhorrens; *omnem* quippè *malitiam docuit otiositas*. Et ea sunt Sabbatha animæ, quæ viderunt hostes, & deriserunt, iuxta glossam D. Gregorij. Otium ergo quod in S. Brunone agnosco, & ex quo eius eximiam sanctitatem coniectari posse dico, est otium sanctum: quod Franciscus Petrarcha in opere de otio Religiosorum diuinæ gratiæ feracissimum esse testatum facit. Et inde breuiter erui potest, quòd cùm in multis sunt actus nostri, nec feriamur in vno, minoramur sensu, & pietatem deterimus. Quæ causa est, cur Origenes [a]. Sanctum esse, perinde esse dicat, atque vnius esse; quod verò multorum est, id commune, (iuxta Scripturæ phrasim), id est, immundum & inquinatum esse, pronuntiet, Petrus Damiani scitè [b], hoc esse ait, quod Sedecias excæcatus dicitur in Reblatha.

[a] *hom. 5. in Leuit. in fine.*

[b] *lib. 2. epist. 5.*

blatha. Nam *Reblatha* idem ſonat quod *multa hæc*. Cæcatur igitur & à vera luce quæ Deus eſt, ſemouetur, cùm contempto vno, per multa vagus animus diſſipatur. Inde clades virtutum omnium, vt idem Auctor optimè diſſerit. E contrariò ergo per abductionem à multis, & defixionem in vno, vacantes ſanctè, & videntes quoniam ſuauis eſt Dominus, vberes omnino cæleſtium opum prouentus colligimus, & veras illas animæ diuitias, cumulamus mirum in modum. Quid adhuc quærimus probationes aut illuſtrationes inſignis ſanctimoniæ S. Brunonis, quem conſtat ſancti huius otij ſtudioſiſſimum, tenaciſſimè in vno quod verè vnum eſt, cogitationes omnes atque affectus defixiſſe? Ea ſanè ex cauſa, etiam corpore quantum licuit, à multitudine auulſus captauit latebras.

5. Argumentum denique optimum, & ſupra coniecturas validum, cumulatæ in B. Brunone ſanctitatis, ſuppeditat ſanctitas cœtus ab eo inſtituti, de qua plenè ſuperiùs. Habet enim hîc quoque locum, à contrario, ea Apoſtoli argumentatio, *ſi radix ſancta, & rami*, ſi, inquam, ſancti ſunt rami, multò magis certum eſſe debet, ſanctam eſſe radicem è qua ſuccus ſanctimoniæ in ramos eſt deriuatus. Non facit Deus moralia huiuſmodi corpora, monſtroſa; ita vt à membris aptè & congruè compactis, caput diſſideat. Imò quia primum in vnoquo-

que genere & menſura cæterorum, non videtur dubium, quin Autorum ſanctitas, tanquam fontalis, & riuis inde manantibus ſuppeditans latices, vberior ſit quàm poſterorum.

6. Verùm huic argumentationi de ſanctitate B. Brunonis, ex ſanctitate cœtus ab eo inſtituti, quod per ſe ex anteà diſputatis liqueat, non inſiſto in præſentia fortiùs; vt ſpectem inſignem atque præcipuam S. Brunonis hac in parte prærogatiuam ex peculiari (quantùm arbitror) Dei in eum beneuolentia, transfuſam in Cartuſianum cœtum. Vnde enim tam firmæ huic cœtui ſanctimoniæ radices, vt labarit nunquam, quod vix vlli antiquorum cœtuum obtigit? Videſis antiquas religioſas familias vniuerſas, à variis ſanctis fundatoribus optimè conſtitutas; non fuit quæ fixa & firma perſtaret in ſanctis principiis. Non Pachomij, non Baſilij, non Auguſtini, non Benedicti, non aliorum veterum propè omnium, aut etiam abſolutè ac ſimpliciter omnium. Iniuriis æui omnes huiuſmodi cœtus ceſſerunt. Ac tametſi ſemper ex parte aliqua ſtetere, vel ſubinde ſurrexere magna cum laude; tamen ab edaci rerum tempore ſunt exeſi: omnes inquam iniuria temporum, imò incuria hominum, ex toto, aut ex parte ſunt collapſi. Solus inter tot anteriores; S. Brunonis cœtus, illæſus & inconcuſſus, ac omnibus æui iniuriis ſuperior perdurauit, dictus idcircò ORDO NON LAPSVS, Boſtio teſte

teste in præfatione ad librum de viris illustribus Ordinis Cartusiani, & latè quoque id celebrat Thomas Bosius [a]. Legimus de collapsione aliorum quorundam Ordinum threnos, quibus pij posteri succisos regularis disciplinæ neruos, disiecta, luxata, & laxata omnia, flebilibus modis lamẽtabantur. Nec dubitauit vir omni encomio superior [b], inter fontes lacrymarum in quas par sit solui pios quosque, hanc in plerisque antiquis cœtibus vitæ regularis labefactationem statuere. Nullus hisce lacrymis locus circa Ordinem S. Brunonis, qui imitatione cælestium corporum, perstat ab initio incorruptus. Imò quia cæli mutabuntur, & veterascent, Deum ipsum, (quantum per humanarum rerum conditionem licèt,) æmulatus esse dicendus est cum aliis Ordinibus de sua constantia deiectis, audire solus iste queat. *Tu autem idem ipse es*; & quantum sperare licèt per Dei bonitatem, & subiunctam moderatorum diligentiam, *anni tui non deficient*. Illi, inquam, anni, qui per dies mensésque virtutum nunquam interruptos, sed perpetuò recurrentes in terrestribus cælis efficiuntur, vt disserit Origenes. Collaudauit, imò suspexit, hanc Ordinis Cartusiani in sanctis cœptis firmitatem S. Antoninus [c] & suspexit etiam Vrbanus V. optimus quidem Pontifex, sed falsus circa hunc Ordinem, cùm metiens illum ex sensu suo, vel eorum qui talem illi mentem iniece

[a] *l. 22. de signis c. 35.*

[b] *Bellarminus de gemitu colum.*

[c] *2. p. summa hist. tit. 15. c. 22. §. 2.*

iniecerant, cogitauit de Cartusiani instituti asperitate temperanda, & primis institutis conuellendis: quod tantùm abest vt euicerit, Gulielmo Raynaldi Cartusiæ præfecto, per Ioannem de Villanoua Romam submissum contranitente, vt potiùs egregio constantiæ præconio honestatum sacrum Ordinem, sibi permisserit, optimis institutis firmissimè ac tenacissimè inhæsurum. Spectabat hoc decus, pius Poëta, auorum memoria sic canens.

Fertilis exuperat tantos Cartusia montes,
Et iuga quæ summis sunt decantata Poëtis,
Submissas quantum corylos præcelsa Cupressus.
Nam Cartusiacus sacer hic non fluctuat Ordo,
Sed manet immotus veluti Marpesia cautes,
Contra scylleas rabies, omnésque procellas
Vndiuagi maris, & vafros Cacodæmonis astus.

Non potuit sanè Satan per tot sæcula, quatere aut euertere sacrum hunc Ordinem, quibuscunque artificiis, quæ ei circa alios antiquos Ordines cesserunt ex sententia.

7. Hac ratione valet mysticè circa Cartusiensem Ordinem, quod physicè verúmne an fabulosum sit, dissidentibus sententiis agitatatum video. Cimices, animal fœdissimum & dictu quoque fastidiendum, vt Plinius [a] dixit, apud Cartusianos non nascuntur, de multorum sententia. Retulit eam Cardanus [b], anceps an res ita habeat. Vt proinde Scaliger Cardani

[a] *lib.* 29. *cap.* 4.
[b] *lib.* 10. *de subtil.*

[a] *Exer. 246. n. 5.* dani [a] vellicationum nunquam ſatur, iniuriâ ſugillet Cardanum tanquam amplexatum vt certam, protritam narrationem de cimicibus è Cartuſia exulantibus. Fabulam vocat Scaliger, & credulitatis nimiæ notat Cardanum; qui (vt præmiſi,) audita refert dumtaxat, non etiam affirmat: quamuis affirmaſſe multos tradit, & in perpetuam à carnibus abſtinentiam retuliſſe. Fabulam item vocat Aldrouandus [b]. Adeo multi tamen aſſenſi ſunt, idemque tam multi & graues è Cartuſiano Ordine teſtes prodiderunt; vt pudeat ſine ſufficienti exploratione refragari. Quicquid autem ſit de veritate illius narrationis peruulgatæ; valet tamen myſticè (vt dicebam,) circa Cartuſianum Ordinem, quòd proſcriptæ ſint ab eo fœdæ huiuſcemodi beſtiolæ, quæ nec ſua in re Medica deſtituuntur vtilitate, vt Plinius [c], notauit; & S. Hieronymus [d], ac Matthiolus [e]. ad Dioſcoridem [f]. Nec ortum habent vacuum myſticæ ſignificationis. Ariſtoteles ſanè deſcribens animalium hiſtoriam, agens de inſectis quæ non carne viuunt, ſed carnis viuæ humore aluntur, quibus annumerat cimices, ait eos procreari ex humore ſordido, qui per ſumma corporis animalium conſiſtit. Conſonatque quod Theodoretus [g] deſcribens Simeonis Stylitæ patientiam, affirmat cùm tibiæ eius adaptata eſſet pellis, ne à ferro vinculante læderetur, eaque pellis tibiæ aſſuta, diſrupta eſſet; apparuiſſe pluſ

[b] *l. 5. de Inſectis. c. 2.*

[c] *l. illo 29. c. 4.*

[d] *l. 2. in Iouin.*

[e] *l. 2. c. 33.*

[f] *l. 5. c. 33.*

[g] *in Philotheo.*

plusquam viginti maximos cimices, ex pædore & sordido humore ibi enatos, qui fœdum & miserandum in modum discruciarent hominem patientissimum, ne pellis quidem compressione à molestis illis morsiunculis sese eximentem cùm posset forti manus appressione omnes necare. Origo igitur cimicibus, à situ & pædore fœtidi humoris, per summa corporum animalium consistentis. Hinc habetur, cur dixerim, mysticè valere apud Cartusianos, quod iactatur exulare ab eorum cœtu cimices. Non enim locum apud eos habuit, habétue situs, & pædor putredinem & corruptionem consequens; cùm hic Ordo nitens semper ac purus, & situs expers perstiterit.

8. At hæc non exigua de sancti Fundatoris prærogatiua, cui singulariter benedixit ea in parte Dominus; non tantùm honestans illum in laboribus, quod aliis omnibus sacrorum cœtuum institutoribus obtigit, sed etiam cõplens, id est, conseruans indeficienter, & ad vltimũ vsque (vt spes est,) promoturus labores illius, nullo fœtido, nullo putri humore vnde mystici cimices existant, ad corpus mysticum semper purum ac nitens, subnascente.

9. Sic constituta gratiæ hîc à superstite S. Brunone partæ, & immensis accessionibus cumulatæ, præcellentia; metrum gloriæ qua in cęlis potitur, non potest obscurũ videri: cũ gloria alterius vitæ, tãquam fructus semini, gratię hîc

partæ respondeat, vt est apud Theologos indubitatum. Singularem ergo ac planè eximiam esse in cælo B. Brunonis gloriam, necesse est, tam præcellenti gratiæ commensam. Nam quod cælo illatus sanctorum gloria potiatur, vindicatio Ecclesiastica dubitare non sinit: & pessimè cessit infelici hæretico, quem Laurentius Surius in historia anni 1544. scriptum reliquit, cùm Coloniæ Agrippinæ inter pocula inaudisset, fore postridie festum B. Brunonis, quo eius sanctus obitus, & æterna inter cælites gloria recoleretur; deridens miser relationem B. Brunonis in sanctos, omnia sibi infausta, statim ab hausto poculo quod manu tenebat, est apprecatus, si Bruno sanctorum felicitate in cęlo potiretur. Vix sacrilegum os in ea verba solverat, cùm statim in foribus peccatum eius affuit, & illicò expertus pro sancto suo vltorem Deum, exemplo docuit non esse in sanctis Dei malignandum; nec vocandam esse in dubium gloriam eorum qui computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Sancti itaque Brunonis illationem in cælestem gloriam, non sum sollicitus astruere, de qua per Ecclesiam, & insignia sancti viri merita dubitare non licet, vt affirmabam. Sublimitatem autem felicitatis & cælestium eiusdem honorum, hanc dicebam ex constitutis de singulari & eximia eius gratia, ratam esse oportere.

10. Nec vades (vt sic dicam,) & fideiussores

queis

queis Sanctorum suorum gloriam solemne Deo est certam præstare, deficiunt nos circa S. Brunonem. Miracula dico, quibus veluti totidem de cælo vocibus, quo quisque Sanctorum loco apud Deum sit, proclamatur. Vt cætera taceã quæ Leo X. in diplomate Canonismi sancto viro decreti, commemorat. Lego apud Gabrielem Bar [a] mox ab obitu & tumulatione S. Brunonis, ad eius sepulchrum prorupisse fontem viuum, cuius ad insignia supra naturam opera, vsus fuerit copiosus; ita vt adhibitis eius aquis, visus cæcis restitueretur; surdis auditus, nitor leprosis, mutilis ac mancis membrorum integritas, Dæmoniacis sospitas, & à mali hospitis contubernio immunitas. Durauit fontis scaturitio, quantum diuinæ sapientiæ visum est congruere, ad illustrandam atque testandam S. Brunonis in cælo gloriam singularẽ: cui fini vbi est satisfactũ, & fons exaruit, & miraculorũ beneficẽtia parciùs fluxit. Tametsi identidẽ vir beatus, nõ prorsus siccatã suæ erga fideles & pios cultores benignitatis venã, interpellatus demonstrat.

[a] *l. 2. de situ Calabriæ p.* 141.

11. Nostra memoria anno 1613. Durandus ciuis oppidi *Desabadel* in Cossetania, cõflictatus diutissimè cũ morbo, & à medicis denique depositus, post fusas ad varios cælites in cassum, preces, quod aliunde auxilium & diuina voluntas prouidisset, ad extremum religiosam vitam Cartusianorum in vicinia ad montem Hilarem degentium recordatus, B. Brunonem cuius no-

men inaudiuerat nunquam, ſub confuſa nuncupatione ſancti Inſtitutoris tam ſancti Ordinis, interpellauit humillimè, ſanitatem ſibi apprecans per eius merita atque ſuffragia. Nec mora. Vigilanti & benè ſui compoti, videndum ſe obiecit S. Bruno & leui ægri contactu illicò reſtituit ſanitati, clam omnibus. Æger iã perſanatus aduocatis famulis veſtes ad procedendum depoſcit, illi ſupremos fatiſcentis præ morbo naturæ niſus interpretati, ad medicos conuolant; conteſtante Durando non eſſe opus valentibus Medico: Se à ſancto Cartuſianorum parente quem conſpexiſſet, ſanitatis beneficium exoraſſe. Delatam S. Patris imaginem ſpecie externa & habitu, bellè reſpondere obiectę viri ſancti formę, confirmauit; & in multas gratias erga S. Brunonem effuſus, aliis vt pro ſe idem præſtarēt ſupplex accidit, nunquam ſatur laudandi euergetę ſui, cui ſacellum de ſuo ære conſtruxit, & vt apud omnes eſſet celeberrimus, ſtudioſè ſategit.

S. Brunonis Stylitæ Myſtici Finis.

La la
charit[illegible]

[illegible]
S. Jés